MASTER
NEGATIVE
NO. 93-81479-13

AUTHOR:

GIFFEN, HUBERT VAN

TITLE:

OBERTI GIPHANII EPISTOLAE ...

PLACE:

VRATISLAVIAE

DATE:

[PREF. 1860]

Master Negative #

93-81479-13

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

878G36 Giffen, Hubert van, 1533?-1604.
BZ Oberti Giphanii Epistolae quindecim ex cod. ms. Rehdigerano nunc primum editae a Th. Schirmero... Vratislaviae, Grass [pref. 1860]
29 p. 25 cm.

"Academiae Basileensi secularia quarta celebranti gratulatur Academia Vratislaviensis."

32398

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 13x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 6/10/93 INITIALS BE
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

ACADEMIAE BASILEENSI

SECULARIA QUARTA

CELEBRANTI

GRATULATUR

ACADEMIA VRATISLAVIENSIS.

INSUNT OBERTI GIPHANII EPISTOLAE QUINDECIM EX COD. MS. REHDIGERANO NUNC PRIMUM EDITAE A TH. SCHIRMERO, UTRIUSQUE IURIS DR ET PROF. EXTR.

VRATISLAVIAE.
TYPIS GRASSII, BARTHII ET SOCII (W. FRIEDRICH). 1860.

ACADEMIAE VRATISLAVIENSIS RECTOR ET SENATUS

S. P. D.

ACADEMIAE BASILEENSIS
RECTORI MAGNIFICO ET SENATUI ILLUSTRI.

Quamquam et locorum distantia et seiunctis civilium rerum rationibus efficitur, ut quae vel magistrorum vel civium ultro citroque commeantium communione miscentur commercia, rara nobis Vobiscum intercedant, non tamen committendum putavimus, ut celebrantibus Vobis quarta Academiae Vestrae secularia officium nostrum desideraretur; neque dubium nobis est, quin eadem mens sit reliquarum Germaniae Academiarum omnium. Insignis enim haec et perpetua Academiae Vestrae laus fuit, quod sicuti liberales litterae omnes communi quodam vinculo copulatae sunt, ita statuit etiam Academias omnes, quae quidem ingenuo ac generoso illas studio colerent, gloriosi laboris societate coniunctas esse, quem animum Vos quoque constanter retinere multis rebus probavistis. Quamobrem et vetustum Academiae Vestrae splendorem et praeclarum istum animum Vestrum cogitantes par est ex animi nostri sententia vota nos facere pro Academiae Vestrae incolumitate ac perpetua felicitate enixeque cupere, ut sicut adhuc illa summo Dei O. M. favore servata est ac periculosa etiam tempora, quae interitum ei paene certum afferre videbantur, feliciter evicit, ita in posterum quoque si non praefulgens tam illustri gloria, quam suis seculis viri laudatissimi, Des. Erasmus et Petrus Ramus praedicaverunt,

at certe iis rebus omnibus largissime instructa et ornata perstet, quibus et salus eius et summa utilitas continetur. Nam vetus quidem illa celebritas, qua primis post renatas litteras seculis Basilea enituit, hodie nec Vestrae nec alii ulli Academiae speranda est, cum insigni magistrorum laude urbisque amoenitate et humanitate civium allecta paene ex universo terrarum orbe ingens studiosorum iuvenum multitudo istuc congregaretur nec iis modo, qui praeclaros praeceptores audire poterant sed universae simul Europae iste quasi celeberrimus quidam optimarum artium mercatus esset ob typographorum Basileensium numerum amplissimum, qui doctrina, arte, industria nobilissimi praestantissimorum librorum infinitam copiam divulgabant. Sed ad famam tantam ac splendorem eum, quo reliquae Academiae pleraeque obscurentur, haud facile ulla iam Academia adspirare poterit; nam neque tam crebrae neque tam litteris perniciosae publicarum rerum perturbationes hodie accidunt, quibus olim saepe Academiae aliae desolabantur, aliae illustrabantur, et est praeterea eruditio ipsa multo magis per terras omnes aequaliter diffusa scholarumque et Academiarum numerus multo maior et doctorum virorum tam aequalis institutio, tam communia studia, ut qui vel maxime praeter ceteros ingenii doctrinaeque laude floreant, tamen quod et aemulos habent multos et omne genus scriptis cito quidquid in quoque insigne est divulgatur, non possint tantam quantam olim auditorum multitudinem allicere. Quo fit ut vel quae sunt Academiae nunc et magistrorum fama et vario doctrinae omnis apparatu instructissimae, modum quendam celebritatis egredi nequeant certis illum finibus circumscriptum ac terrarum situ civitatumque natura quasi praefinitum. Atque ut egregie magnae gloriae facultas sublata est, ita singulis tamen civitatibus melius aequaliusque consultum videtur et Academiae ipsae magis coniunctae sunt communicata studiorum perpetua diligentia et veritatis quaerendae ac defendendae communi amore. Vos igitur non dolentes amissum veterem illum Vestrae Academiae splendorem, qui hodie nulli conceditur, fortiter ac strenue, quod facitis, id muneris administrabitis, quod pro sua cuique Academiae natura impositum est; sed ut virtus ista Vestra divino auxilio perpetuo protecta magistratuumque ac civium Vestrorum rectis iudiciis generosaque liberalitate adiuta feliciter cumulateque praestare possit, quod sapientissimo consilio Academiam Vestram praestare voluit auctor eius ac conditor Pius II. Pontifex Maximus, piis votis omnique qua par est observantia amicitiaque optamus, rogamus. Cuius animi nostri ut interpretes sint misimus Vobis legatos Academiae nostrae professores duos clarissimos, Carolum Iacobum Loewig et Hermannum Lebert, alterum summis apud nos honoribus functum, alterum nuper huc vocatum, utrumque confidimus et probe cognitum Vobis esse et fore gratum acceptumque. Valete.

Dabamus Vratislaviae m. Septembri a. MDCCCLX.

Cum saeculo duodecimo atque tertio decimo leges Iustinianeae in Italia quasi reuiuiscerent, et iuris ciuilis doctrina apud Romanos olim celeberrima iam apud Italos denuo effloresceret, nullus populus a fonte recenti auidius hausit, quam Germani. Frequentes sedebant ad pedes magistrorum in scholis Italiae, atque assiduo labore eruditi et instituti cum in patriam reuertissent, tantum alieni iuris dignitati ac uirtuti tribuebant, ut posthabitis maiorum moribus et docendo et iudicando summo cum ardore pro illius auctoritate pugnarent. Quae cum ita essent, tandem factum est, ut Iustiniani uolumina legum uicem etiam in Germanorum imperio obtinerent. Cum uero saeculo sexto decimo iuris Romani disciplina mirum quantum a Gallis rursus promoueretur, nouaque eius tractandi ratio iniretur, praeter exspectationem Germani eo animi impetu, quo illi in eruenda atque explicanda antiqui iuris monumenta incumbebant, minime se abripi passi sunt. Licet enim haud pauci ad Cuiacium, Donellum, Duarenum, Contium, caeteros audiendos profecti eorum doctrinam post reditum quoque domi coluerint ac professi sint, plurimi tamen nostrum neglectis et omissis Francorum studiis uix aliud quidquam, cum ad ius ciuile cognoscendum accederent, animo propositum habebant, nisi ut secundum ueterem consuetudinem per manus ab auis traditam, eamque saepissime aut omni probabili ratione destitutam, aut grauissimis saltem erroribus permixtam quotidiana hominum iurgia et lites dirimere scirent; in eo enim iuris ciuilis artem consistere putabant. Neque quisquam examinabat, num re uera, quae in foro dominabantur regulae, cum iure Romano conuenirent; nemo scrutabatur, si forte hodierni ueterisque iuris discrimina alicubi apparebant, utrum posteriorum temporum aequitate, morumue Germanorum atque Romanorum discrepantia haec mutatio effecta esset, an mera libidine aut imprudentia ab antiqua iuris forma esset recessum. In ea potius causa fere omnes acquiescebant, quod ita se res haberet, itaque a maioribus esset obseruata. Magnopere autem admiratio nostra augebitur, si meminerimus, ineunte saeculo sexto decimo in ipsa Germania uiros egregios exstitisse, inter quos primum locum Udalricus Zasius obtinet, qui idem fere iurisprudentiae exercendae iter monstrauerint, quod postea Galli ingressi sunt; ac ne tunc quidem nostros ad nouum illud iuris ciuilis scientiae genus transisse, cum summorum iureconsultorum aliqui miserrimis rei publicae turbis et calamitatibus ex Gallia expulsi et in hanc terram profugi professorum munere in academiis nostris fungerentur. — Quae

cur omnino aliter atque olim acciderint, si quaerimus, multa commemoranda esse uidentur. Neque enim minus internis externisque discordiis, inimicitiis, bellis, quibus et Germanorum imperium et regna uicina exagitabantur, quam dissensionibus et controuersiis, quae de religione intercedebant, hominum animi illis temporibus a litterarum commercio, quod non arctissime cum rerum diuinarum cognitione, puerorumue institutione cohaereret, ad studia prorsus diuersa auocabantur. Accedit, quod Gallorum in iure tractando nouationes nec rei publicae utilitatibus, nec priuato partium commodo uehementer inseruire, sed tantum eorum, qui rerum gestarum memoria oblectarentur, curiositati satisfacere posse primo aspectu uidebantur. Denique illi, qui artibus liberalioribus operam dabant, quae et olim fuit, et hodie est Germanorum socordia et negligentia, cum ab iis, quibus rerum cura permissa erat, exceptis sane theologis, non ita magni aestimari solerent, et parcam modo mercedem quasi diurni nocturnique laboris praemium ferrent, plerumque rei priuatae angustiis summopere premebantur. Qua communi fere doctorum hominum tristissima sorte acerbitas quaedam et inuidia animos eorum inuasit et occupauit, unde et sibi et sociis uitam insuauem ac miseram redderent. Non ergo mirabimur, quod iuris ciuilis scientia, praesertim cum e peregrinis terris euocanda esset, tunc sedem commodam apud nos non inuenit.

Quae omnia epistolis aliquot Oberti Giphanii, clarissimi illius Bataui, qui philologus an potius iurisperitus sit nominandus, merito dubitamus, ad Thomam Rehdigerum nobilem Silesiae uirum, et Cratonem a Krafftheim imperatoris Maximiliani secundi medicum datis mirifice illustrantur. Quas ineditas adhuc et obliuione sepultas, quia omnes tanti uiri reliquias a temporum iniuria defendendas posteritatique mandandas existimauimus, et quia res ibi narratas memoria haud indignas iudicauimus, oblata nobis opportuna occasione, typis diuulgare constituimus. Insunt autem in tomo secundo et nono collectionis, qua litterae a magno uirorum doctorum numero Rehdigero Cratonique missae in bibliotheca Rehdigerana Vratislauiae asseruantur; in illo numeris 79—86, in altero 44—50 signatae sunt, partim nitidissime exaratae, partim festinante calamo scriptae, ut nisi cum summa molestia et industria legi nequeant. Describendi copiam eximia cum humanitate fecerunt bibliothecae Rehdigeranae praefecti, quibus uiris clarissimis, doctissimis, quominus hoc quoque loco publice gratias quam maximas agamus, temperare nobis non possumus.

Inter omnes constat, Giphanium, cum anno 1567 Aureliae ad Ligerim utriusque iuris doctor esset renuntiatus, mox cum regis Galliarum legato, cui nomen erat Paulo de Foix (cf. Muret. ep. I. 45. 73. II. 5. Nouvelle biographie génerale. Paris. Firmin et Didot. Tom. XVIII. p. 51.) ad Venetorum rem publicam misso in Italiam profectum esse. (cf. Foppens Bibliotheca Belgica. Bruxell. 1739. Tom. II. p. 928. Zeidler Vitae professorum iuris, qui in academia Altdorffina ... uixerunt. Tom. I. Norimberg. 1770. p. 38. Biographie génerale. Tom. XX. s. v. Giffen al.) Vnde cum Thoma Rehdigero, tunc Patauii commorante, cuius tamen in familiaritatem iam in Gallia peruenisse uidetur, frequens litterarum commercium habuit. Octo ex his epistolis in bibliotheca Rehdigerana exstant. Quae cum ex rerum nouarum metropoli, ut ipse noster (ep. 83.) Venetias nominat, utpote ubi ex Occidente et ex Oriente uenientes nuntii sibi occurrerent, sint scriptae, quid mirum, magnam partem eas expleri narrationibus de bellorum consiliis et praeparationibus, de proeliis et urbium expugnationibus caeterisque id genus rebus, quibus lectoris curiositas moueretur, praesertim cum ephemeridum usus tunc prorsus incognitus esset. Vnde etiam potissimum rerum gestarum epistolis perscribendarum consuetudo illis temporibus apud priuatos inualuisse, consentaneum est. Accedit, quod Giphanius ea, quae nuntiabat, saepe a certissimo auctore, Gallico legato, cuius in cohorte ipse

uersabatur, acceperat, eaque amico summo cum studio protestantium partibus fauenti, siue iucunda, siue tristia, semper tamen auide exspectata uenire sciebat. — Deinde uero, qui est mos doctorum hominum, Giphanius et Rehdiger inter se communicant, si quid noui uel memorabile in re litteraria alteri obtigerat, petuntque inuicem studiorum subsidia. Et maxime quidem Giphanium in eo occupatum uidemus, ut antiquos libros, quos comparare posset, Rehdigero inuestigaret, et indicaret. — Postremo priuatarum quoque rerum mentio fit. Rehdiger etsi toto fere sexennio minor, neque doctrina aut fama Giphanio comparandus, tamen huic Maecenas est summopere colendus. Mox eum rogat, ut se comitem assumat in itinere, quod Romam Neapolimque facere constituerit (ep. 79.); mox ea spe se destitutum deplorat atque inopiam excusat, qua coactus amico pecuniam mutuo acceptam nondum reddiderit (ep. 80.); mox bonorum a patre relictorum angustia oppressus, cum ab Electore Palatino professionem in academia Rupertina peteret, Rehdigerum orat, ut apud illum causam suam agere uel adiuuare uelit (ep. 82. 83.); tandem omni iam spe abiecta paratum se esse confitetur, omissa elegantiore iurisprudentia ad quotidiana leguleiorum negotia transire, ut habeat, unde saltem uitam tueatur. (ep. 86.) En, quantis miseriis sine ulla culpa homo doctissimus et diligentissimus paterfamilias implicatus fuerit.

Reliquae septem epistolae ad Cratonem Argentorato datae sunt, ubi Giphanius tandem munus professoris publici nactus erat. Quarum maxime notabiles sunt quinque, quibus auctor Cratonem implorat, ut in causa Riheliana pro se apud imperatorem intercedat. Quam causam, quantum equidem sciam, unus Zeidlerus memoriae prodidit in supplementis operis laudati Tom. III. p. 130—141. Norimb. 1787, unde Hugo in historia iurisprudentiae Postiustinianeae ed. 3. p. 350 sq. et Baehrius in Encyclopaedia Erschiana Sect. I. Tom. 67 s. v. Gifanius sua mutuati sunt. Magnopere uero tota res schedis Rehdigeranis illustratur. Nam praeter Giphanii litteras etiam Ludouici Grempii trinae (Tom. IX. No. 26—28.) et ipsius Beutheri quaternae (Tom. IX. No. 68—71.) ibidem inueniuntur, quibus Crato ut auctoritatem suam interponat, ab utraque parte instanter rogatur. — Ut uero Giphanius in illas calamitates incideret, hoc modo factum est. Vetus intercessit inter Michaelem Beutherum, professorem, et Theodosium Rihelium, bibliopolam, Argentoratenses, simultas. Quae si minus orta, certe tamen nutrita et exasperata esse uidetur Beutheri improbitate, qua et Francofurtensi typographo et Rihelio Sleidani interpretationem Germanice a se concinnatam, additamentisque auctam uendidit. (cf. ep. 46 et L. Grempii ep. 27 „ille qui lucri causa duobus typographis Sleidani supplementum uendidit.“) Qua de causa cum minus commode Rihelianae editionis exemplaria uenirent, hic librum denuo typis exscribere et noua quoque supplementa addere constituit, quibus res usque ad annum 1574 gestae exponerentur; ita fore sperans, ut sua uolumina potius quam aduersariorum emtoribus placerent. Quo consilio Giphanium adiit, cuius semper fere in rebus litterariis opera familiariter uti solebat, atque ab eo impetrauit, ut Sleidani commentarios usque ad annum praesentem continuare polliceretur. Paucis deinde diebus is promissa praestitit. Quas sex septemue pagellas Rihelius in linguam Germanicam transferendas curauit, paucaque ad annos 1572, 1573, 1574 pertinentia inde corrasit, quae Beutherianis additamentis adiecit, cunctaque sub Beutheri nomine Sleidano adiunxit. Priuilegio denique Caesareo librum a furtiuis riualium machinationibus defendere studuit. (ep. 46.) Quae editio anno 1574 publicata est.

Negari non potest, Rihelium contra pactiones, quae inter ipsum et Beutherum conuenerant, fecisse, cum editionem illam pararet. Quam ob rem Beutherus acerrime iratus et priuilegium imperatoris contra ius fasque a Rihelio impetratum esse ratus, simul ueteri odio indulgens cupidissime

occasionem arripuit, qua facili negotio inimicum omnino a se profligatum iri putabat. „Crassa enim incogitantia“ (ut ait L. Grempius, causae Rihelianae defensor, l. l.) Giphanius uesanam fabulam de trucidandis Gallico more Vindobonae in ecclesia protestantibus, quam fando audierat a Daniele Floriano quodam (ep. 47.) iis, quae Rihelio in scriptum redacta tradidit, immiscuerat. Sub specie igitur propriae defensionis Beutherus et apud senatum Argentoratensem et apud ipsum imperatorem, uel potius eius Procancellarium Weberum factum excusando detulit. Licet enim nomen ipsius in fronte additamentorum sit appictum, se tamen ab illa calumnia omnino esse alienum, totumque opus se inscio et inuito, quin etiam contra pactorum fidem et magno cum ipsius detrimento editum, immeritoque Caesareo priuilegio esse firmatum. Perspecto peccato statim Rihelius eam paginam libro eximi aliamque substitui iussit; quo effectum est, ut in paucis modo exemplaribus iam antea diuenditis calumniosum illud mendacium relictum sit. (Paur, Johann Sleidan's Commentare über die Regierungszeit Carl des Fünften u. s. w. Leipzig. 1843., etsi uersionis Beutherianae editionem anni 1574 probe nouit, hanc tamen rem alto silentio transit.) Habuit tamen Zeidlerus genuinae formae uolumen, id ipsum, quod Beutherus olim possedit, atque ex eo uerba illa, quae Giphanio periculo fuere, in hunc modum exscripsit:

> *Bald zu Anfang dieses Jahres (1573) wurde offenbar der heimlich Verstand, welche etliche Jesuitische Mönch mit etlichen zu Wien in Oesterreich wider die Evangelische, so in dem Palatz des Freiherrn von Rochendorff als in eyne Kirch mit Bewilligung Kais. Maj. zusammen zu kommen, Predig zu hören, und andern Gottesdienste pflegten zu verrichten, gemacht hatten, dieselben unversehens, wann sie nuh beyeinander weren, zu überfallen unnd Französischem Brauch und gewohnheyt nach zu erschlagen und umbzubringen. Als solches dem Keyser angezeigt worden, soll er darab sehr erschrocken seyn, doch ist wider diejehnigen, so in der Bündniss gewesen, nichts fürgenommen worden.*

Caesar ob famam imprudenter sparsam uehementissime iratus, suadente etiam Procancellario Webero (uid. Hug. Blotii ep. apud Zeidlerum l. l. p. 139.) senatui Argentoratensi mandauit, ut in Rihelium et eos, quorum opera ea in re esset usus, anquisitio fieret. (ep. 46. 47.) Ex imperatoris igitur praecepto Giphanius, cuius nomen tandem Rihelius ediderat, e uinculis publicis causam dicere coactus est. Rihelio typi et formae praeclusae (ep. 46.), ipse in exsilium eiectus (ep. L. Grempii 27,), libris ab eo impressis nundinae Francofurtenses caeteraeque interdictae (ep. Gremp. cit. ep. Beutheri 71.). Ab initio susceperat causam Rihelianam defendendam L. Grempius a Freudenstein. Is consilium dederat, ut Rihelius et reliqui, quibus periculum ex eo crimine immineret, amicorum opem implorarent, qui Pragae ab ipso Maximiliano delicti ueniam peterent, eoque proposito mox ipse Streinio et Webero litteras diligentissime compositas scripserat. Quod exemplum secutus Giphanius non solum Cratonem adiit, sed Sambucum quoque, Languetum, Kleinfeldium et Blotium. (ep. 46. ep. Hug. Blotii cit.) Quibus postea etiam alii ut Ioa. Sturmius (uid. eius ep. apud Zeidlerum l. l. p. 134.) se adiunxerunt. Denique mense Augusto anni 1575 ipse Giphanius supplicem epistolam, quam exhibet Zeidlerus l. l. p. 135 ad imperatorem misit. (cf. ep. 49.) Quibus deprecationibus Maximilianus exoratus atque placatus tandem Giphanio ipsique postea Rihelio poenam remisit. (ep. 48. Grempii 27. Beutheri 71.)

Quo in discrimine etsi infitias ire non possumus, Giphanium parum constanter se gessisse, quam animi abiectionem amici quoque quamquam tecte, non tamen obscure illi exprobrant, (cf. Hug. Blotii ep. cit.) at saltem semper omni ex parte honeste se gessit, id quod an recte dici possit

de aduersariis eius, merito dubitamus. Odio enim adeo implacabili in Rihelium exarserat Beutherus, ut non solum gloriaretur, inimicum deo propitio in casses suos incidisse (ep. 68.) sed etiam aliquot imperii principes ad intercedendum contra decretam a Caesare criminis abolitionem per fratrem excitare conaretur. (eiusd. ep. 71.) Ne multa, eo usque importunitatis processit, ut summam, qua de re acerbissime conqueritur, apud omnes uiros bonos inuidiam sibi conciliaret (ep. 70.) et uel Cratonem, quocum arcta, ut uidetur, amicitia coniunctus fuerat, identidem frustra monentem, ut tandem aliquando iram remitteret, (ep. 71.) aliquantum a se alienaret. Sed quod plus est, atrocissimae suspiciones his eius uerbis mouentur: „De quatuor illis aureis, quorum in tuis litteris facis mentionem, nihil aliud, quod scribam habeo, nisi quod eo illos miserim, ut aliquid iis, qui litteras subinde siue reddunt, siue asportant, erogetur. Scio enim longe alia ratione tibi me deuinctum et obligatum, quam ut tuorum in me beneficiorum uel minimam partem ullo pretio possim compensare.“ (ep. 69.) Minime quidem nos fugit, illo tempore saepius factum esse, ut si quis ad amicum epistolam mitteret, nuntii mercedem in ea obsignaret, at cruciatorum aliquot, non aureorum. (cf. Hug. Blotii ep. apud Crenium. Animadu. philol. Tom. XVII. p. 111.) Quid igitur ea de re statuendum sit, lectorum iudicio relinquimus; hoc unum adicientes, difficile nobis uideri, Giphanium illa occasione laudare, Beutherum tantummodo excusare, multo etiam difficilius.

A. OCTO GIPHANII EPISTOLAE AD REHDIGERUM DATAE.

I.

Tom. II. No. 79.

Clarissime et humanissime Domine.

Quae hisce diebus cum de Gallia, tum de infera Germania accepi, etsi perpauca, non potui, quin officii in te mei memor ad te perscriberem. Aiunt iam in Gallia omnia ad quietem spectare, regemque urgente Montmorancio eo serio ipsum incumbere, eaque re Lugdunum alium praesidem breui missurum. Amiralium esse domui suae ut et reliquos Protestantium, quos uocant, principes. Verum mihi uix persuaderi haec possunt, qui ὡς μυστήριον τὶ inaudierim, Cardinalem Lotharingum caput esse consilii ducis Andegauensis. Studuit namque ille, cum in regio princeps esse non posset, certe ut in altero esset; qua ratione hoc etiam callide consecutus dicitur, ut quasi προβούλευμα in regium consilium adferatur, quod apud ducem fuerit deliberatum, atque ita quodam praeiudicio frangat regios consiliarios Cardinalis. Audio tamen pollicitum eius muneris aut dignitatis obtinendae causa*) Cardinalem Andegauensi 4000 librarum Turonens. annua; quae cum non praestet, alienari coeptum ducis animum. Hinc uide, quid colligendum putes. Praeterea Rupellam obsidere non desinunt, et nemo Lugdunum redire audet. Ex octo autem du-

*) Iterum noster memoriae lapsu inculcat „pollicitum.“

cibus in Picardia nuper captis tres principes capite truncatos memorant. Quid quaeris? Sola pecuniae inopia retardari existimo bellum in Protestantes Romae nuper deliberatum. Nam et ipse noster Legatus mihi sine arbitris his diebus dixit, Albanum nuper misso ad regem Franciae legato scripsisse, breui se rebus Flandricis compositis et pacatis*) ipsum in Franciam cum omnibus copiis uenturum auxilio aduersus Protestantes. Condaeus etiamnum in Burgundia haerere dicitur. Non satis constat, cur illic tamdiu commoretur. Aiunt, (et certe locutus sum, qui Argentorato scriptas litteras uiderint et audierint idem adferentes) octo Vasconum millia ea regione, nempe per Delfinatum et extrema Burgundia in Germaniam descendisse, qui ad Arausianum principem proficiscantur. Quod utinam uerum memorent. Ea fortasse causa illum tamdiu ibi remorata est. Sunt etiam, qui certe confirment, quatuor pagos Heluetios auxilia omnemque opem pollicitos Condaeo, quandoque rursus bello uel ipse, uel confederati urgeantur. Et hoc fortasse ibi confecit. Et haec quidem de Gallia. De patriae porro libertate etsi modo paene omnem spem abieceram, erexit tamen me nonnihil constans multorum, etiam Legati nostri sermo, qui non dubitent confirmare, Arausianum sex equitum millibus et uiginti peditum coactis in Flandriam uersus gradu magno pergere. Quidam et maiores, alii uero minores copias esse aiunt. Accepi et ab Legato, Electores Magunciacensem et Treuerensem auxilia quaedam dedisse Arausiano, quod dicerent, non tam religionem, quam ipsam Germaniae libertatem et priuilegia agi. Quae si ita sunt, ut esse spero, non dubito, quin breui laetissimos nuntios de restituta in integrum patria, libertate et otio habituri simus.

Perquisiui diligenter de indice librorum Aldinorum, quem petieras. Repperi tandem nuper formis descriptum ab ipso Paullo Manutio apud eius filium Aldum mihi perfamiliarem. Verum quod eum multis aliis suis aduersariis copulasset, non potui ab eo impetrare, ut saltem describerem. Hoc tamen effici, ut eum se breui denuo auctiorem formis descripturum mihi reciperet; quod certe faciet, nam et ipse iampridem id ultro suaque sponte facere constituerat; tum quot uoles, curabo ut habeas. Libros illos duos, Platonem et Aristotelem, manuscriptos, quos item petieras, nondum reperire potui. Repperi tamen senatorem quendam huius urbis, qui multos habeat libros Graecos scriptos, quos diuendere cupiat. Et iam aliquot dies expecto horam, qua ad illum adire possim; quod quidem iam factum fuisset, nisi hisce diebus Praetor, ni fallor, Vicetinus esset creatus, quo factum est, ut operam dare nobis non potuerit. Efficiam tamen, ut breui, quid futurum sit, sciam: nam quindecim fere dies iam me lactat. Verum nudius tertius cum ad Aldum nostrum uisum iuissem, inter alia multa praeclara librum quendam Graecum manuscriptum et ab doctissimo illo Syriano nuper emendatum mihi ostendit. Erat autem Dionysii Halicarnassei liber de Thucydide, cuius ipse Dionysius mentionem quoque facit quodam opusculo ab Rob. Stephano cum omnibus operibus Dionysii edito, uti postea domum reuersus deprehendi, ne quis adulterinum putet. Ostendit etiam eiusdem libri uersionem a patre suo iampridem formis descriptam, et ipsius etiam Graeci libri partem, quem pater eius excudere coeperat. Cumque ex eo percontarer, cur totum Graecum librum non descripsisset typis praesertim iam coeptum, respondit operarum perfidia et morositate id factum fuisse, postea patrem totum abiecisse magno cum suo detrimento, neque constituisse unquam id opus perficere, quod litterae Graecae in Italia quasi obsolescant. Inde ego instare, ut mihi eum daret; curaturum me, ut a Plantino describatur formis elegantissimis.

*) Alterum „se" noster interposuit, iam eam uoculam se scripsisse oblitus.

Et uidebatur daturus, si amplius institissem. Verum rem totam prius ad te referendam duxi. Certe, mi Clarissime Domine, opus est praeclarum et tua bibliotheca dignissimum. Mitto et uersionem et paginas, quas formis iam descripserat Paullus, ut ipse et Dn. Neodicus iudicare possitis. Quodsi dignum censeas, qui tuo nomine in lucem edatur (mihi certe longo tempore tam praeclarus liber editus non uidetur) fac, ut sciam; efficiam enim, ut ab Aldo impetrem, ut reliquam partem Graecam describendam mihi permittat, atque tum consilio tuo uel Plantino, uel alii alicui permittatur edendus Graece et Latine tuis auspiciis. —

Nunc quoniam iampridem tua humanitate et liberalitate frui coepi, non putaui me impudentiae notam incursurum, si et a te quiddam peterem, quod et tibi fortasse non inutile futurum sit. Scis, credo, me iam aliquot annos in antiquitatibus cognoscendis operam ponere; qua in re quantum profecerim, nunc commemorato non est opus; olim deo uolente fortasse re ipsa ostendemus. Imprimis autem ueteres libros lustrare et euoluere institui, quod ex iis maximum fructum me referre uiderem. Quo in studio cum te quoque non mediocres sumptus facere uiderem, magnam animo cepi uoluptatem, quod te, quem mihi humanissimum semper essem expertus, iisdem uestigiis praeire cernerem. Videbam enim fore, ut hac ratione mea opera aliqua saltem tibi utilis interdum esse posset et grata; nam in iis libris cognoscendis magna saepe est difficultas, magna fraudis et detrimenti occasio. Vnum exemplum commemorasse satis erit. Superioribus diebus cum Aldo in D. Marci bibliothecam tandem aliquando ingressus, cum omnia lustrarem, ex omnibus Latine scriptis libris praeter unum Senecae libellum epistolarum ad Lucilium uix ullum collatione dignum repperi. Ex Graecis autem, deus bone, ὅσους ἄνθρακας! Eos tamen omnes, cum peruoluendi tempus non esset, quaerebam ab Lancedano bibliothecae praefecto, quem haberet antiquissimum Graece scriptorum. Ostendit Odysseam, seu potius commentarium Eustathii in Odysseam, quem ipsa Eustathii manu descriptum esse aiebat. Quod cum audissem, statim dixi, non esse peruetustum, qui scirem, ipsum auctorem in recentioribus ponendum. Deduxit me ad librum. Vidi. Vnam solam antiquitatis notam repperi, aut, ne mentiar, duas. Vidi tamen initio adscriptum Graece, librum ipsius auctoris manu perscriptum. Ex hoc facile iudicaui, etsi non omnes Graecos inspexeram, quam reliqui essent recentes, cum hic, quem antiquissimum iudicabat, tamen parum antiquitatem redoleret. Lancedanus iurasset paene, abhinc mille annis librum eum scriptum fuisse, cum auctor uix habeat 500. Vide nunc, mi Domine, quo haec spectent. Intelligo, immo, scio te praeclaro instituto cupere optimos quosque Graecos et Latinos libros scriptos tibi comparare (quorum tamen iam non minimam partem tibi pararis) et eo potissimum nomine Romam et magnam partem Italiae lustrare hoc autumno instituisse. Etsi autem non ignorem, quam doctum comitem habeas Neodicum, tamen tua fretus humanitate ausim a te petere, ut me quoque saltem ad mensem unum et alterum adsumere digneris. Nam et in antiquitatibus Romae explicandis et ostendendis et libris ueteribus dignoscendis et reperiendis spero, me non inutilem tibi cum Dn. Neodico operam praestiturum, et me immortali beneficio adfeceris. Neque uero sum nesciens, et Dn. Cunradum fortasse tibi quoque comitem fore, et non magno comitatu tibi eundum ob periculum commune; id tamen, uti spero et uero maximopere peto, non impediet, quo me solum quoque adscribas. Nam facile curari id poterit, dummodo recte iter instituatur; qua de re capiendum tibi consilium primum esse, grauiter me hisce diebus admonuit Dn. Stopius. Non fuissem tibi molestus, humanissime Domine, si, quod speraram, cum Dn. Capella iter illud suscipere mihi licuisset. Verum cum pater tuus nihil rescribat, et cum tempus profectionis Romanae oportunum instet,

tandem te orandum putaui fretus, ut dixi, tua humanitate incredibili; nam de mea opera nolim esse arrogantior. Quare ut tandem et his longissimis litteris finem faciam, oro te, ut, si absque tuo magno incommodo id facere possis, meque tui semper studiosissimum hoc beneficio adfectum uelis, te oro, ut hoc mihi largiri digneris.

Vale Maecenas humanissime. V. Kal. Sept. 1568.

Tui obseruantissimus

Salutem Dn. Neodico. Ob. Giphanius.

II.

Tom. II., No. 81.

Clarissime et humanissime Domine.

Quae proxime ad te Patauium Dn. Cunrado, qui domi fuerat, misi, reddita iam tibi existimo; de quibus tuum humanissimum responsum et iudicium auidissime expecto. Nunc interea quae collegi, perscribere uisum est, quod ea non ingrata tibi fore putem. De copiis et auxiliis Germanicis non dubito, quin ab Stopio nostro acceperis. Audio esse ad XX. millia peditum et 8 equitum. Heluetii quoque pagi quatuor copias aliquot coniuncturi dicuntur. Et ex Aquitania et Prouincia, quam uocant, octo fere millia iam coniunxisse se Germanicis auxiliis feruntur. Legatus noster quatuor tantum millia esse accepit. Idem mihi indicauit, protestantes Gallos, cum ab Arausiano et confederatis sollicitarentur ad mittenda auxilia, egregie respondisse, si fidei et religionis ergo petant, paratos se etiam uitam sanguinemque suum profundere cum illis, sin alia de causa, puta ut ipsi tantum restituantur, non posse neque debere se illis rebus interponere. Sane si uerum est, ut est, tot Vascones eo se contulisse, quod sine Condaei consilio factum non uidetur, facile uides, qua de causa copias illas contraxerit Arausianus sociique. Albanus XXI°. superioris mensis die litteras Buscoduco, ut uocant, huc dedit ad procuratorem rerum Hispanicarum, quas hodie scriba noster inspexit, quibus ipse de illo motu suorum aduersariorum commemorat, seque omnes opes, quibus illis obuiam eat, comparare. Quam uiam confederati profugique nostrates ingressuri sint, aut uero iam ingressi sint, incertum est. A plerisque huc decurritur; in Burgundiam primum ingredi eos constituisse, quod nuper Hispani ea iter facientes tres pulcherrimas, paene dixerim, orbis terrarum arces et praetoria Arausiani summa contumelia euerterint; ibi quoque Illustrissimi Dn. Gramellani memores se esse, ostendere uelle dicuntur. Fortasse etiam, ut se Gallicis et Heluetiis auxiliis coniungant, si qua forte non demum conuenerint. Verum hac de re et omnibus aliis certiora proximis litteris. In Gallia caelum terrae permisceri iam tertium aiunt. Oppugnatur Rupella. De Aureliano proxime scripsi. Lugduno arcessitus in regiam dicitur praeses Birago, Italus, quem rex Hospitalio remoto Cancellarium sibi uelit. Haec tamen uix adduci possum, ut credam. In prouincia quoque et Delfinatu copiae ubique colliguntur. Exitum tamen rerum Flandricarum omnes spectant, et rex Galliae febri satis molesta laborare dicitur, alio etiam morbo non minus odioso, *πενίαν* uocant Graeci, Gheltgebrich nostri, etsi multa promittit Papa, sed bonis praedibus praediisque interpositis.

Venit huc hisce diebus Dn. Sigonius, quocum peramice locutus sum. Attulit responsionem in Gruchium. Aiebat se domi habere multos libros scriptos, eosque, si Bononiam uenirem, facile se mihi daturum.

Haec habui in praesentia. Vale humanissime Maecenas.

Tui obseruantissimus

Ob. Giphanius.

III.

Tom. II., No. 80.

S. P.

Clarissime et humanissime Domine.

Heri demum, qui fuit a. d. Nonas Septembres litteras et responsum tuum accepi, quo factum est, ut tardius rescripserim. Accepi uero et epigramma et H. Stephani apologiam cum Egmundani actionibus. Vt autem ad tua prius ueniam, cum omnia tibi debeam tam praeclare de me promerito, efficiam, ut actionum Egmundani exemplum breui habeas; nam de Halicarnassei libro non uideo, quemadmodum ipsius Manutii manuscriptum consequi possim. Conquiram tamen omnes, quas potero machinas, quibus, quando leniore uia non poterit, ipsum expugnem, ut tibi omni ratione satisfaciam. Remitto autem et Virgilium et corpus iuris ciuilis*), pro quibus immortales gratias tibi ago, petoque, ut, si quid in me est, quod sentio, quam sit exiguum, si quid tamen studio operaque mea tibi effici procurarique posse**), ea ut auctorati iampridem tibi uti uelis. Mutuum, dabis ueniam, quod tanto interuallo nondum reddo; nam tantis motibus patriis tamque difficili tempore res et rationes omnes nostras quo in loco esse oporteat, facile uides. Id tamen ut, quo possim, primo tempore habeas, operam dabo. Nam tametsi, quae tua est humanitas, non repetieris, ipse tamen uideo, quid mei sit officii, fidei et pudoris. De Romano itinere quod sententiam et consilium commutaris, grauissime doleo. Nam ut de me nihil dicam, qui tamen et ipse in tua liberalitate omnem spem meam collocaram, quanto id incommodo bonarum artium, quarum ut fere orbarum te patrocinium suscepisse, semper iudicaui, atque adeo reapse sum expertus, fiat, perspicuum est. De me, ut dixi, nihil laboro, qui facile tam exiguo sumptu tolerando uel meo ex aere, uel alii alicui adhaerescendo aliam uiam et rationem reperire possim, quamquam et te comitari multis partibus maluissem patronum et de me optime meritum; hoc maxime doleo, quod fructibus maximis illius consilii et itineris caritura sit studiosorum et Musarum, ut ita dicam, respublica seu *τὸ κοινόν*. Certe periculo, quod non ignoro, quantum sit, ego quidem non ita commoueor, ut, si uel cras comitem haberem, pedibus iter ingredi non dubitarem. Te uero magna auctoritate et diplomatis munitum ea re nobis tantos fructus, si dicere licet, impedire? Vide, mi humanissime Redigere, quam familiariter, libereque tecum agam; id namque et patitur tua liberalitas et impulit communis utilitas. Verum enim cum et rationes tuae omisso itinere Romano

*) Calami lapsu ciuilibus Giphanius scripsit.

**) Desideratur „putes.“

Viennam te uocent, amplius tibi molestus esse nolim. Hoc nunc unum summopere a te peto (quo etiam nomine famulum ad te allegaui, simul et ut corpus ad te referatur tutius) ut Ethica illa tua cum tabulis Zuingeri hac hieme utenda mihi concedere uelis; nam abiecta iam profectione Ethica domi nostrae hac hieme explicare constitui, ad quam rem utilissima illa tua mihi fore uideo. Siue autem tu Patauium aut huc aliquando redeas, siue non, facile tamen ubicunque eris, ea ad te referenda curare potero, uel Dn. Stopio, qui cum reliquis ea ad te curet, si ita tibi uidebitur, tradam. Hoc etiam atque etiam te uehementissime rogo. Certe si, quod non credo, totam hiemem non largiaris, saltem paucis ut diebus, quibus abitum paras, eorum usum me impetraturum confido. De rebus nouis, quod et Flandricus et Lugdunensis tabellarii, qui utrique hodie expectantur, nondum aduenerint, nihil habebam, quod scriberem. Hi simul aduenerint, quod intellexero, statim perscribam. Famulus tamen aliquid narrare poterit.

Deum oro, ut iter, quod tandemcunque ingredi constitueris, bene tibi euenire uelit. Vale, optime et humanissime Maecenas, meque in tuorum numero, ut soles, habere ut pergas, id uero maximopere te oro.

Venetiis.

T. D.
obseruantissimus
Ob. Giphanius.

Salutem doctissimis et humanissimis Dn.
Neodico et Dn. Freschelmosero.

IV.

Tom. II., No. 83.

S. P. Valde dolui, mi humanissime Domine, uno, postquam tu hinc discederes, die serius me domum itinere toto Italico confecto redire. Verum hisce diebus, cum ex familiaribus quibusdam Pataui intelligerem, te Spirae constitisse, et quo in loco esses, certe cognossem, ualde equidem recreatus fui. Maxime cum Stopius idem mihi mox confirmaret. Itaque nihil mihi prius fuit, quam primo quoque tempore ut ad te scriberem, meam operam, fidem et diligentiam, me denique ipsum tibi offerrem teque rogarem, ut, si qua in re me tibi utilem aut hic aut istic fore putes, obseruantissimum et studiosissimum tui esse et semper fore recorderis.

De rebus nouis, quarum metropolim hanc urbem esse non ignoras, etsi Dn. Stopius accurate ad te singillatim scribit, uellem tamen et ego aliquid perscribere, nisi si postremi hi et recentissimi nuntii tam tristes essent. Neque enim dubito, quin de exitiali Protestantium in Gallia clade acceperis. XI. fere sunt dies, cum primum is nuntius totam hanc urbem inuasit et compleuit. Sed 5 abhinc diebus uenit huc certus interpres ab rege Franciae ad senatum Venetum missus, qui rem omnem certius et singillatim illi exponeret. Ab eo didicimus proelium commissum 3° Octob. in confinio Pictonum et Turonum non ita longe a Samurco, quod nosti, prope Parteneium, paruum oppidum nundinis celebre, ad uicum Montcontoul in planicie inter duo parua flumina.

Exercitus Protestantium habere dicebatur fere XX. millia hominum, Pontificiorum XXVI. aut circiter. Sub uesperum commissum fuit proelium. Primam aciem suorum ducebat Amiralius, aliorum Montpenserius aut eius potius legatus aliquis. Hoc constat, in Protestantibus strenuissime pugnasse Amiralium, in Pontificiis Tauannes cum Heluetiis. Primus impetus fuit acerrimus, et in quo si perstitissent Protestantes, uicerant; iam enim aduersarii ordines perturbare coeperant; quod hac potissimum de causa accidit. Equites aliquot Germanici adorti alam eam, quam ipse Andegauensis et ei ad latus semper adhaerens Marchio Badensis, defensor fidei, ducebant, adeo eam perturbarunt, ut et Badensis ibi dicatur occidisse, et Andegauensis parum afuerit, quin aut caperetur, aut eandem cum Badense fortunam pateretur; nam in terram ex equo deiectus fuit. Quo eius periculo, cum totus exercitus Pontificiorum eo inclinaret ad illum eripiendum, magna perturbatio ordinum consecuta fuit. Verum tanta fuit ignauia equitum reliquorum, tam Gallicorum, quam Germanicorum, ut diuersa parte pugnantes uix primum impetum sustinuerint, immo, statim in fugam sint coniecti, illi autem, qui alam illam praetoriam tenebant, cum se neque a suis subleuari et ab uniuerso hoste premi sentirent, mox repulsi et ipsi refugerint. Sic equitatu fugiente miserrime deserti pedites et idem mox fugientes in ipsa fuga omnes paene ad internecionem sunt caesi, exceptis paucis, qui fugaciores pedes haberent. Capta quoque sunt eorum tormenta bellica omnia et carri plerique omnes equitum Germanicorum, in quis et Karoli Mansfeldii quidam reperti sunt ex poculis et argento quodam eius insignibus notato. Ex Pontificiis uix trecenti cecidisse dicuntur eo, quod fugientes, uix resistentes habuerint hostes. Ex proceribus praeter Badensem ex Pontificiis, et Moysansfalle ex Protestantibus, qui tamen ipse non in acie, sed a conducto quodam sicario ante proelium est interfectus, nemo cecidisse dicitur. Capti sunt ex Protestantibus, Monss. de la Nowe et Monss. d'Acier, duo fortissimi et nobilissimi uiri. Amiralius uulnere in mala, ut aiunt, accepto euasit, etsi in prima acie uersaretur.

Non libet iam perscribere, quot supplicationes, missas, conuiuia Romae et in hac urbe, et in omni fere Italia celebrarint et celebraturi sint. Caue enim putes, aliter hos existimare de caesis illis, quam si Turcae, aut si qui Christo sint infestiores, essent interfecti. Sed haec uiderint Germani, quorum res agitur. Ego deum oro, ut pias ecclesias, scholas et regna conseruet. Scis et audisti, quae et in Anglia motuum fundamenta iam sint iacta, ubi Nordfolcius dux Scotam reginam captam, a se compressam et grauidam factam, ducere uelle dicitur, inuita regina Angliae. Sed haec deus et illi gubernabunt. Vellem iucundiora scribere potuisse, uerum cognita animi tui constantia nolui officio meo deesse et minus laeta afferre quam nulla, praesertim cum fama et litteris multorum ea iam audieris.

Superest, ut ad ueteres meas artes iam redeam, teque mihi adiutorem rogem in re quadam, de qua obtinenda iam aliquantisper laboro. Cupiebam Haedelbergae adsequi munus aliquod et locum docendi iuris publice. Is cum non eueniret, accidit tandem, ut locus docendorum Ethicorum uacaret mortuo doctissimo illo Victorino. Polliciti sunt aliqui, fore, ut illum obtinerem, donec in iure aliquid occurreret. Verum mora et silentium eorum faciunt, ut diffidere incipiam, non de amicorum illorum (in quibus principes sunt hi duo: Iohannes Iunius et Karolus Bombergus, utrique ibidem religionis causa Antuerpia profugi) fide et diligentia, sed quod eorum tanta fortasse non sit gratia ut exterorum, et quod multi sint alii, qui de eodem consequendo munere laborent. Quare te, mi domine, aduocandum mihi putaui, qui et Haedelbergae noris Dn. Bertholdum et, uti puto, Spirae istic Dn. Cisnerum aliosque nonnullos, quorum gratia et auctoritate et tua quoque imprimis illud munus mihi impetrare possis. Itaque te rogo, quod sine tuo incommodo fiat, ut hac in re me adiutare digneris. Quod si locus ille iam est occupatus (etsi intelligo, nondum esse

occupatum) aut obtineri fortasse non poterit, (nam sunt, qui dicant, mihi ut Doctori eum locum docendorum Ethicorum non posse concedi, quam legem tamen facile condonare et remittere posset princeps,) tum certe hoc amplius a te petere ausim, ut, si istic Spirae mihi aliquem locum impetrare possis apud aliquem aduocatum, ubi praxin addiscere mihi liceat, ut de omni ea re per otium intelligere digneris, et cum tibi erit commodum, ad me seu Stopio missis litteris aliquid rescribere. Ego interea, si qua intelligam, quae tibi non ingrata teque non indigna cognoscam, diligenter et studiose perscribam; et si quid hinc uoles, maxime in re litteraria, quaeso te, mea ut opera uti uelis. Hoc te etiam atque etiam rogo.

Vale. Salutem doctissimo Neodico nostro. Venetiis 29. Octob. 1569.

Rogo te, mi Domine, ut has litteras Haedelbergam curandas dare alicui uelis.

Tui obseruantissimus et studiosissimus
Ob. Giphanius.

V.

Tom. II., No. 82.

S. P. Octo abhinc diebus Nobilissime et Humanissime Domine, ad te scripsi. Quas litteras ut et has dedi Dn. Stopio ad te curandas. Interea quia accepi quaedam, quae non ingrata tibi futura putem, nolui praetermittere, quin et illa ego ad te perscriberem, etsi Dn. Stopii nostri diligentiam non ignoro. Itaque Constantinopolis 28. Septemb. oblato, ut plerique putant, incendio arsit biduum; quo conflagrasse dicuntur ad X. millia insularum, ut quae pleraeque omnes totae fere sint ex ligno. Incendio extinguendo dum succurrunt Baschae et ipse Mahmetus, Bascharum princeps, atque adeo Turca ipse cum Ianitzaris, Mahmetus ruina domus cuiusdam fere oppressus fuit, et consumpti dicuntur 400 admodum Ianitzari. Eodem fere tempore Iudaeorum scelus ibi detectum fuit, qui cruci Graecum quendam Christianum in Christi ignominiam et odio nostrorum suffixerint. Legati quoque regum Algeriae et Fezae in Africa conuenisse eodem dicuntur ad petenda auxilia Granatensibus Mauris contra Hispanos, etsi ex Hispania iam adfertur, illos ipsos Granatenses paruo proelio hisce diebus facto aduersus Hispanos superiores euasisse. Cardinalis Ferrariensis Romae missam solemnem in aede B. Ludouici, Francorum praesidis, cum celebrasset uictoriae illius, dono dedit uestes omnes sacerdotales illas sacello illi. Mediolani globulo tormentario paene occiderat (sed tactus non fuit) Cardinalis Borromaeus, qua de re graues quaestiones ibi nunc aguntur. Ex Gallia nihil nisi hoc, in Vasconia, seu potius Biarria, quae sunt reliquiae regni Nauarrici illius, quod Galli tenent, iussu reginae sumptum supplicium militari modo, non carnificis manu, de quibusdam capitaneis seu ducibus, qui Pontificiorum conspiratione contra reginam arma tulerant et ditionem omnem occuparant, recuperatum postea a Montgomereio eo misso. Qua re audita Monluzius, oppidulo quodam expugnato, ad unum omnes trucidauit. De exercitibus reliquis nihil habemus.

Superest, ut te orem, mi Domine, ut has litteras alteras ad Serenissimum Electorem curare digneris. Vtinam uero ita rationes tuae ferrent, cum has accipies, ut ipse uel Dn. Neodicus Haedelbergam excurrendum uobis esset, quo et certius hae litterae perferri possint, et eas tuis uerbis et commendatione augere possitis. Nam de me quoque illae, ni fallor, loquuntur non nihil,

qui iam diu commendari illi principi quaesierim, et locum aliquem uel in schola uel in aula obtinere. Quam rem tuo commodo et occasioni permitto; hoc peto, ut, si proficiscaris, nostri memor esse uelis; sin minime, saltem ut breui et fideliter ipsi principi reddantur.

Vale, mi humanissime Redingere. Salutem doctissimo Neodico. Patauio, quo excurreram cum nostro ad audiendas primas lectiones. 4. Nouemb. 1569.

Tuus Tuique obseruantissimus

Ob. Giphanius.

VI.

Tom. II., No. 85.

S. P. Valde, mi Domine, expecto, ecquid actum sit de ista professione, an mihi processerit bene, an secus. Itaque tuas litteras mirifice habere cupio.

Interea, quae huc perferantur nonnulla magis idonea ad te pergam scribere. Ex Gallia hoc demum die ad Senatum dicitur perscriptum de capto oppido S. Iehan d'Angely. Quod si uerum est, magnum rursus damnum acceperunt Protestantes; nam et oppidani aut milites certe omnes trucidati dicuntur. Quae enim crudelitatis exempla censeas eos praetermittere, qui Nyorci in dediticios tantam crudelitatem exercuerant direpta tota urbe iam dedita? Interea Nemausum se tradidit Domino Monbrun, Protestanti, qui clam egerat cum ciuibus fere Protestantibus. Amiralius coniunctis sibi Montgomereio et Vicecomitibus peragrata tota Aquitania extrema Auenionem et secundum Rhodanum Lugdunum ac deinceps in Burgundiam auxilia Germania expectaturus (ita hic spargunt) contendere dicitur. Magnum inde instat periculum Rupellae et Angolaemae, immo, summae rerum, ni succurrat Amiralius, qui uix poterit, nisi adiutus a principibus Germaniae. Itaque uides, quantum in illis sit positum.

Neapoli qui detecti diebus superioribus sunt coetus, non magiae aut libidinis, ut hic sparsum fuerat, sed religionis causa habiti sunt. In carcerem abductae praeter alios fere 50 nobiles matronae dicuntur; ubi et supplicio non ita nuper eadem de causa adfectus est baro quidam eius regni Pompeius delli Monti.

Hispani iam tandem nauiter rem militarem in Granatenses administrant. Itaque Mauri sunt in periculo maximo. Si sustinent, primo uere auxilia Turcica sperant, qua tamen de re nihil est certi. Reliqua Dn. Stopius.

Vale, mi humanissime Domine.

Venetiis 3°. Decemb. 1569.

Tui obseruantissimus

Ob. Giphanius.

VII.

Tom. II., No. 84.

S. P. De oppido illo S. Iehan d'Angely tanta hic nunc est expectatio, quanta fuerat antea de Pictauio. Noster Clarissimus Legatus postremis litteris nondum accepit de capto, etsi mercatores nonnulli eodem tabellario scribunt de capto et hoc insuper adfingunt, ni fallor, Rupella eo ad regem uenisse reginam Nauarrae et Comitem de la Rochefocault, redditisque clauibus tradita urbe Rupella ueniam deprecatos impetrasse omnibus, seu potius uniuersis praeter IX. capita, Amiralium, Montgomereium etc. Parisiis, uidi, qui scribant, bis iam impugnatam urbem. Idem scribunt, Cardinalem Borbonicum regem ad oppidum spectandum progressum comitantem equo alacriore abreptum fere ad moenia, et, ne in manum hostium ueniret, se deiicere ex equo coactum, atque ita non mediocriter laesum refugisse non sine multorum cachinno.

Amiralius erat in agro Montaubannensi, cui Vicecomites, interclusi Garumnae imbribus multis aucti transitu, neque dum coniungere suos potuerint. Nemausum, quod a ciuibus furtiue in manus protestantium quorundam equitum, seu potius eorum praefecti Montbrunii*), tenetur quidem etiam nunc ab eo, sed arcem a pontificio praesidio teneri, quod nisi breui deiiciant, periculum est, ne et urbem Pontificii recipiant. Vezeleium, Bezsae patriam, ab Sansaco oppugnatam hactenus, scribunt iam expugnatam, non tamen certis admodum auctoribus. Haec, mi Domine, habebam, quae in praesentia ad te scriberem; nam de magno scilicet duce in Hetruria, qui hisce diebus Romae in conclaui pontificis natus est, aliisque de rebus Stopius suo more diligenter ad te scribit, ut existimo. Quod igitur reliquum est, te oro, ut ex litteris tuis intelligere aliquando possim, ecquid spei supersit de munere illo Haedelbergensi aut de alio aliquo uel istic uel alibi munere seu loco tua commendatione et gratia mihi expectando. Vale, mi humanissime Domine. Salutem doctissimo Neodico. Rogo, me ut commendes doctissimo et clarissimo Albadae, etsi uix nomine illi me notum puto.

Has litteras ut Haedelbergam cures, rogo.

Venetiis XVIII. Decemb. 1569.

Tui obseruantissimus

Ob. Giphanius.

VIII.

Tom. II., No. 86.

Clarissime et Nobilissime Domine.

Hoc mane ab amico quodam meo, qui Spira huc uenit, accepi te Spiram reuersum. De me, cur huc uenerim, et qua condicione me hic tuear, ab aliis te intellexisse arbitror. Verum omnes omnium rationes turbauit grauissime edictum illud de studiosis Belgis. Quo cum et professores publici contineri uideantur (etsi non prorsus sum certus de professoribus) ego quoque, quid

*) Excidit „traditum est," uel simile aliquid, sicuti proximo uersu post uocem teneri „audio."

suscipere debeam, totus ἀμηχανῶ. Spirae tamen praxeos causa, ut uocant, consistere uelim, si in academiis non liceat. Sed quia herediola paterna (quibus tamen priuari, ut neque patria temere uelim) me alere honeste nequeunt, cogar cum aliis amicis, tum tibi quoque esse molestus, ut eorum commendatione apud aliquem aut aduocatum aut procuratorem, aut Adsessorem potius locum reperire possim, quem et opera iuuem, et cui etiam aliquot praeterea coronatos numerem. Vtinam apud Dn. Albadam mihi esse liceat. Rogo te, mi humanissime Domine, ut cum D. Doctore Iunio et D. Langueto, quos pro sua humanitate mihi adfuturos non dubito, tu quoque ope, consilio iuuare me digneris. Intra mensem ad comitia excurrere constitui, ubi te salutabo deo uolente. Interea uelim Dn. Neodicum hoc unum mihi indicare, anne professores omnes, etiam illi, qui publico stipendio, non illi soli, qui exercendi ingenii causa, uel in gratiam studiosorum, ut dicitur, docent, contineantur edicto.

Venetiis ad me perscriptum est, ducem Venetum mortem obiisse 3° Maii, eaque re Buccentaurilia (ut ita dicam) non semel ducta aut celebrata. Eius in locum lectus est uir ille praestantissimus Ludouicus Mosenicus eques XI. Maii hora 15ª. Papa dicitur Venetiis mittere auxilio 25 triremes, Hispanus 30. De Florentino non dubito, quin audieris, eum duxisse uxorem ciuem Florentinam suasu Pontificis. In Delfinatu comes Ludouicus Nassouius occupauit oppidum Montlimart. De pace Gallica spes est, sed tenuis, nisi comitia haec eam iuuent, quod multi sperant.

Vale. Salutem doctissimo D. Neodico. 1570. XXVIII. Maii.

V. E. d. d.

Ob. Giphanius.

B. SEPTEM OBERTI GIPHANII EPISTOLAE AD CRATONEM DATAE.

I.

Tom. IX., No. 45.

Clarissime et humanissime Domine.

Quandoquidem intellexi Caesaream Maiestatem breui Spira discessuram, non potui, quin rursum Berzeuicaei causam mei tibi commendem discessum paranti, teque per omnes Musas, quarum tu unicus es patronus, orem, ut, si per aduersarii importunitatem aliud non licet, hoc certe efficias, ne ex illius libidine condemnetur absens. Silentio fortasse res mitigabitur et tempore. Quicquid tamen, te cum omnes alii, tum ille amicissimus meus et ego te patronum agnoscimus; in te spes opesque sunt sitae. Nam et me tibi ut quam commendatissimum esse uelis et, si forte locus aliquis iuris doctori uel in academia aliqua aut apud principem uacuefiet, ut nostri memor esse digneris, etiam atque etiam rogo. Giphanium certe tui obseruantissimum et gratissimi animi reapse σὺν τῷ Θεῷ cognosces. Vale. —

Venetiis ad me scribunt, terram ibi mouisse 18. Nouemb. non tota quidem urbe, sed multis passim locis, adeo ut parietes etiam collaberentur. Romae exustum religionis causa doctissimum illum senem et poetam celeberrimum Aonium Palearium. Cardinalem Granuellam Roma in inferiorem

Germaniam discessisse, ut adiutet Albani successorem Medinacelium. Credo te P. Ramum certe de nomine nouisse; is Parisios reuersus, cum ad praefecturam collegii et ad publicam professionem redire etiam regis mandato cuperet, aduersariorum factione suorum non est admissus. Causa tamen eius agi dicitur in senatu sanctiore. Haec, quae non ingrata tibi fore putaui, adiungere hic uolui.

Iterum uale, uir Clarissime. Quaeso te, ut Illustri D. Streinio me commendare digneris. D. Rector Sturmius etiamnunc ex humero laborat.

Argentorato 10. Decemb. 1570.

E. V. obseruantissimus

Ob. Giphanius.

II.

Tom. IX., No. 44.

S. D. Non tui uel obliuione uel contemptu V. C. quem propter summam eruditionem singulari coniunctam humanitate in oculis fero et admiror, sed pudore potius factum est, ut rarius ad te scripserim. Nam graue est pudenti homini, uiros multis magnisque rebus occupatos inanibus aut litteris aut sermonibus interpellare ac detinere. Scio autem tibi non solum ualetudinem summi principis eamque infirmam esse commissam, sed multarumque aliarum rerum grauissimarum curam incumbere, qui propter uim ingenii et diuturnum rerum usum *τῶν ἰατρῶν πολιτικώτατος καὶ τῶν πολιτικῶν, ὡς εἰπεῖν, ἰατρικώτατος* iure ac merito dici possis. Habes, mi Crato, uir clarissime, causam tam diuturni silentii. Quae si tibi non satis iusta uidebitur, meque saepe uolės ad te scribere, ualde tibi erit metuendum, ne non crebris tantum, sed ponderosis etiam litteris obruaris adeoque opprimaris. Nam tametsi et scholae et nouis familiae negotiis ac molestiis multum iam distringor, non comittam tamen, ne quisquam, nedum tu, patronus meus et amicus magnus officium in me desideret.

De rebus ac studiis meis nihil habeo in praesentia, quod scribam; quae longe meliore essent in loco, si Sturmium mihi placare posses, quod te, ut facias, uehementissime rogo. Conatus est id nuper Sambucus sed frustra. Tu fortasse et gratia et auctoritate plus apud eum poteris, maxime si eum moneas, ne controuersiam aut dissensionem inter ipsum et Dn. Marbachium iam ante meum in hanc urbem aduentum coeptam mihi iam, ut huius genero, fraudi esse uelit. Neque uero tu quoque de me ita existimes, uelim, quasi dotem praesertim paruam acceperim, libertatem uendiderim, ut ille apud Plautum. Non eo sum ingenio, non ita educatus, ut uel adulari uel seruire seruitutem possim; seruo libertatem ueterem et utor saepius fortasse apud socerum, quam uel ille uelit, uel mihi rebusque meis sit consultum. Illud de eo praeterire non possum, indignum esse eum, quem tam multi calumnientur, ac de eo spargant multa uiro graui indignissima. Nam uere pium ac purae religionis cupidissimum esse cognoui. De cena facit, quod alii multi praestantes uiri solent, ut non temere in re grauissima sententiam mutet multis, ut arbitratur, saeculis comprobatam et in hac republica receptam. De aliis eius magnis uirtutibus, fortitudine et constantia, humanitate et liberalitate, ueritate ac fide, sedulitate, uigilantia, eruditione ac singulari prudentia putidum est, me *ὡς οἴκοθεν μάρτυρα* dicere.

Quod superest, dedi has litteras consuli huius reipublicae Dn. Iohan. Carolo Lorchero istuc legationis causa eunti, patrono ac Domino meo humanissimo, eo maxime consilio, ut, cum et ipse sit doctus, et doctos amet et meus in hac urbe sit patronus idemque Sturmii sit perstudiosus, tecum *Μουσηγέτῃ* notitiam contraheret; idque eo feci liberius, quod pro tua in me beneuolentia me obiurgaris, qui adfinem meum non tibi, sed aliis commendassem. Quare te oro, ut hunc praestantem uirum ea humanitate complecti uelis, ut intelligat, Giphanium Cratoni, hoc est aetatis nostrae Galeno, carum esse; quod mihi maximi beneficii loco erit. Vale V. C. et salue.

Argentorato a. d. VI. Idus Nouembr.

Dn. Langueto et Dn. Kleinfeldio salutem dices, ad quos scriberem, si scirem, istic etiam nunc uersari.

Tui obseruantissimus et cupidissimus

Ob. Giphanius.

III.

Tom. IX., No. 46.

S. Percommode accidit V. C., ut eo ipso tempore, quo litteras tuas ab legatis nostris acciperem, D. Sturmius ex peregrinatione seu rusticatione satis diuturna in urbem rediret, et ambo ad epulum quoddam uocati conueniremus. Nam ultro ille tuarum ad se litterarum facta mentione mirari se aiebat, cur tu aliique ad se de simultate, quae nulla sibi mecum amplius intercederet, tollenda tam studiose scriberetis. Sed hac eius professione in uino facta non contentus triduo post ad eum ipse tuo consilio adii ac domi cum eo egi; nam miranti et identidem iteranti, cur tu de me in gratiam apud se reponendo tam studiose agas, respondi meo te rogatu id facere, eo utique consilio, ut idem, qui olim fuerit, familiaritatis locus apud te mihi restituatur; consuetudo scilicet, ut noster ait Lucretius, concinnat amorem. Sensi hominem commoueri, neque enim uerbis tantum omnia benigne est pollicitus, sed re ipsa ueteris gustum consuetudinis iam percepisse mihi uideor. Quare non Pelides hercle tormento fuit, ut Plautus loquitur, praeut tu Sturmium tuis litteris expugnasti tamquam machinis, ut scribis. Quo nomine multum tibi debeo ut et aliis multis, quae ego dabo operam, ut tandem aliquando etiam cum fenore dissoluam, ne mora ac nimia mole tandem mihi sit conturbandum, quod lentis debitoribus multisque nostrae aetatis mercatoribus accidere solet.

Ecce autem, dum de ueteribus his nominibus explicandis laboro, omnium paene fortunarum mearum naufragium feci, noua ut nomina unumque longe maximum ac grauissimum apud te aliosque amicos mihi iam faciendum sit. Eam tu rem in extremis tuis litteris breuiter attigisti, ego latius explicabo. De Beuthero ac Theodosio loquor, quorum uetera et nimis acerba inter se odia me quoque, licet earum controuersiarum plane expertem, in famae, capitis ac uitae discrimen, nisi tu assis, uocant et inuoluunt. Utroque semper usus sum familiariter, nam ex omnibus meis collegis in schola hac nostra nemo fere est, quicum maior adhuc mihi fuerit familiaritas ac necessitudo, eaque constans ac perpetua, atque cum D. Beuthero; qui, ut totus est in historiis, ita et ego earum atque antiquitatis rerumque politicarum cognitionem ad ius nostrum ciuile semper mihi adiungendam putaui. Theodosius IV. annis, quibus hic uersor, nullum fere melioris et antiquioris

notae librum suis formis descripsit, in quo non uel consilio uel opera mea sit usus. Quo in numero sunt Homerus, lexicon Ciceronianum, Cicero ipse, nondum tamen editus, Iosephus, Liuius, Sneideuinius, alii. Etsi autem de illorum odiis et inimicitiis non nihil iam inaudieram, nunquam tamen eos tam capitales esse credidi. Litterariam, ut ita dicam, simultatem aut dissensionem esse putaui, quales saepe inter uiros doctos et librarios existere solent; nihil de Caesaris priuilegiis, de illorum inter se pactionibus aliisque id genus rebus grauioribus ***οὐδ' ὕπαρ οὐδ' ὄναρ κατὰ τὸν Πλάτωνα*** acceperam. Itaque priore autumno Sleidanum Germanice editurus denuo Theodosius, cum is iam totus fere typis esset descriptus, me suo more rogauit, si quos haberem rerum gestarum maxime illustrium commentariolos, aut si quae Sleidano ad haec usque tempora pertexendo essent oportuna, secum ut ea communicarem; habere se et alia eiusdem argumenti, quibus ea coniungere posset. Feci libenter, ut amico morem gererem, cui nunquam adhuc meam operam et consilium in his rebus litterariis negaui; et biduo (nam instabat mercatus Francofurtensis) scidis ac libellis litterisque excussis farraginem V. aut VI. paginarum corrasi, quas ille continuo Germanice uerti et una cum aliis aliunde sumptis Sleidano suo appingi curat eadem celeritate, qua collectae fuerant. Ex meis tamen paginis ea tantum sumpsit, quae editioni et supplemento iudicaret necessaria, multa mutauit, quaedam praetermisit ut non necessaria. Coeperam enim ego ab eo anno commentariolos colligere, quo Sleidanus desiit, qui est annus 1556, cum Theodosius ea tantum, quae ad annum 72, 73 et 74, requireret, quod postea demum intellexi. Quod equidem eo commemoro, ut statim uideas, me de Beuthero seu eius Sleidano ne cogitasse quidem, qui ipsius tantum Sleidani, non eius, qui a Beuthero auctus est, rationem habuerim.

Edito iam libro grauiter commouetur Beutherus et Theodosium cum hic apud Senatum accusat, tum istuc datis litteris nomen eius sui fortasse purgandi, quam accusandi Theodosii causa defert. Quod etsi nondum plane scio, quae in eo accusarit, hoc scio, uersum unum aut alterum, quo de Caesarea Maiestate agitur, ualde illum accusatorie et odiose exagitare, quasi Theodosius hoc additamento ipsum Beutherum, cui illud attribuat, perdere et Caesaream Maiestatem imminuere conatus sit. Ego etsi reliquas eorum controuersias non attingam, illud tamen sancte confirmare tibi possum, Theodosii hoc tantum fuisse consilium, illud unum spectasse, hoc uoluisse, ut, quia Sleidanus magnis ab ipso sumptibus iam ante descriptus a Francofurtensibus cum quodam additamento esset occupatus et de integro editus, ut alio et ipse nouo additamento nouam Sleidani editionem redderet uendibiliorem. Nosti artes et rationes librariorum, qui hoc unum student plerique, ut suis formis descripti libri aliis anteponantur et quam citissime diuendantur; nullum aliud, mihi crede, eius fuit institutum, non alia mens aut consilium. Nam ut de Caesare, primum nonne magnae sit dementiae, in eo ipso opere Caesarem laedere quem uelle, quod iam primum Caesaris priuilegio ille ipse muniendum ac tuendum curarit? Huc accedit, quod in famosis libellis, maxime in Caesarem, extremae sit dementiae, quod et nomen suum et loci Theodosius, is, qui publicauit, adscripserit et expresserit. Quod autem D. Beuthero illud additamentum attribuit, more potius et aliorum exemplo, quam nocendi uoluntate factum est; uix enim operae pretium ei fortasse uidebatur, paucas paginas a toto priore additamento seiungere, quamquam de hac appendicula sua Theodosius ne cogitasset quidem, opinor, nisi Sleidani utilitas a Francofurtensibus esset interuersa auctore et impulsore D. Beuthero, ut de eo conqueritur Theodosius, quod is, qui has tibi litteras reddet, fortasse in re praesenti ***καὶ ἐν τῷ ἔργῳ*** demonstrare poterit; nam ego D. Beutherum amicum ueterem nulla re onerare, neque illorum controuersiis me interponere uelim. Satis est mihi,

te intelligere V. C. occasionem et consilium huius editionis et additamenti, de quo non dubito
quin aliter ad te scripserit D. Beutherus, qui nimis profecto calide et accense egisse uidetur, quod
idem et aliis et tibi re melius cognita et considerata uidebitur. Non enim Theodosius tantum sed
alii quoque, quorum opera et consilio in rebus typographicis uti solet, in suspicionem et graue
periculum uocantur, atque adeo ipsa fere haec respublica aspergitur. Cum tamen de me iam dicam,
non tantum contra quemquam scribere uoluerim, sed ne cogitarim quidem de scribendo, nisi ro-
gatus ab amico, qui etiam postea tamquam sua mutauit, detraxit, addidit, quae instituto suo
iudicaret esse idonea. Tantum abest, ut summum caput orbis Christiani uerbulo peragere aut
notare uoluerim. Mene enim Caesaream Maiestatem laedere uoluisse, quem Tertullianum secutus
secundum deum alteram orbis terrarum personam esse sciam, libere semper ac libenter sim pro-
fessus, publiceque olim deo approbante in opere, quod iam pridem informaui de Dignitate seu
Maiestate, Potestate et Officio Imperatoris demonstrare constituerim. Cui rei documento sit et
praefatio illa in Liuium nuper hic editum Germanice, quam te plane uelim uidere. Nam cum et
ipse eam Theodosio roganti confecerim, facile uidebis, quae utriusque erga Caesarem sit obser-
uantia, quamque uterque a libellis et scriptionibus temerariis abhorreamus. Ego uero non solum Im-
peratorem maxime hunc nostrum studiosorum ac doctorum hominum unicum et singularem patro-
num summa, qua debeo, pietate et obseruantia colo, obseruo, ueneror, paratus non tantum opera
et fide omnique obsequio deseruire, sed uitam etiam, si sit opus, et sanguinem pro eo fundere.
Rerum eius quoque domesticos semper mihi colendos et obseruandos iudicaui, cum alios, tum illos
praecipue, quorum uel uirtus est eximia et opera ac fides in Imperatorem et imperium singularis,
aut in me priuatim merita extant, in quibus tu certe familiam ducis. Valde autem uel sim im-
probus, si Theodosio hac farragine, cuius eam rogatu collegi, quique ea ut sua est usus, uel stultus,
si D. Beuthero, de quo ne in mentem quidem uenit, nocere uoluissem.

Non igitur uel Caesaris uel cuiusquam mortalium laedendi uel leuissime perstringendi haec
uel suscepta uel peruulgata esse perspicis; nam illud, quod arripit D. Beutherus, et in quo has
tragoedias agit, etsi in deteriorem partem ab iniquis rapi potest contra omnem humanitatis regu-
lam, quae iubet in obscuris benigniora sequi, apud aequum tamen et candidum lectorem ac iudi-
cem aliam interpretationem et sententiam merebitur, qua Caesarea Maiestas non tantum non
accusetur, uel insimuletur, sed satis aperte et cum laude excusetur, tamquam non modo expers
et ignarus eius rei, sed etiam qui ab ea grauissime abhorreat. Neque uero a nobis id confictum
putetur; fuit hic, fuit peruulgatum omniumque sermone celebratum. Facile nominare tibi possem,
quibus illud ipsa Vienna huc fuerit perscriptum, unde et ego et alii id acceperunt, qui et ipsi, ni
fallor, in aula Caesareae Maiestatis iam uersantur. Quod ipsum minime commemoro, quasi hunc
nuntium aut sermonem tuendum suscipere uelim ut uerum, quem falsissimum iam esse, mihi per-
suadeo, ut rei a sanguine Germanico ualde alienae et abhorrentis, et Cimbriis tenebris obruendum
puto, sed ut uideas, et primos huius sermonis aut rumoris auctores non hic exortos, et fore, quod
tu V. C. nolis, complures, qui tam graui periculo inuolui et negotio tam odioso possint implicari.
Id quod mihi iam accidit, cuius nomen etsi ad Imperatorem non est delatum, Theodosius tamen
id Senatui nostro edidit uolenti cognoscere, quorum opera in hoc infelici additamento esset usus.
Quod illum tamen inuitum et iusiurandam prius adactum fecisse, non dubito, ut qui sciat, me
pauca quaedam ipsius rogatu raptim ac temere congessisse, eaque illi tota permisisse, ut ne sci-
dam inde retinuerim; quique saepe mihi confirmarit priuatim, mori se malle, quam ut sua causa

et nomine ego uel alius in tale periculum ueniat. Quid enim est iniquius, quam suum cuiquam officium esse damnosum, praesertim quod non sui commodi, sed alterius causa susceperit, ut iurisconsulti loquuntur? Ego certe ne libellam quidem uel assem eo nomine unquam uel accepi, uel expectaui. Etsi autem Senatum nostrum causa cognita ea usurum prudentia et moderatione existimo, ut aliorum odiis et inimicitiis (quibus tamen, maxime tam capitalibus, probabile est, eum non delectari) alios non temere cupiat in capitis aut famae discrimen uenire, mandatum tamen Imperatoris me sollicitat, quod legati nostri attulisse dicuntur, quo iubetur Senatus, non in Theodosium tantum, sed de iis quoque, quorum ille opera sit usus, anquirere.

Quare cum Theodosius de amicorum consilio ad Caesarem certum hominem mittere constitueret, auctor mihi fuit Clarissimus V. D. Lud. Grempius, qui Theodosii totamque hanc causam suscepit, ut et ipse eo scriberem et quos istic amicos ac patronos haberem, iis quoque ut causam hanc commendarem. Hoc igitur consilium secutus animum statim ad te conuerti, quem tametsi sciam D. Beuthero ut omnibus doctis hominibus bene et uelle et facere, memini tamen, quae tua semper in me paene paterna fuerit beneuolentia, quam cum alias saepe, tum postremis tuis ad me litteris uerissime declarasti, in quibus haec erat clausula „De meo uero animo hoc tibi persuasissimum cupio, me, si quid facere possim, quod in rem tuam tibique uere gratum sit, neque hoc faciam, contra humanitatem fecisse atque a me ipso defecisse arbitraturum.“ Hac re fretus non tecte et celato nomine, ut quibusdam uidebatur, sed aperte tecum agere, mea omnia in sinum tuum effundere, te unum fere in meo et amici mei grauissimo periculo, sollicitudine, certe mea longe miserrima, adire et orare uolui. Vt enim persuasissimum mihi est, te mihi semper optime uoluisse, ita clarissimum est, te apud Caesarem in ea esse gratia, ut tibi roganti soli nos Imperator facile sit donaturus. Quapropter suscipe hanc causam V. C. teque, si non ducem, saltem comitem adiunge generoso D. Streinio et clarissimo D. Waebero, ad quos diligenter scripsit D. Lud. Grempius. Quod te per filium Dei, seruatorem nostrum, per Musas, quarum una sacra ferimus, uos ut sacerdotes, ego Camillus aliquis et famulus, per quidquid illud est, quod tantum tibi mei amorem excitauit, siue ea tua est humanitas, ut est magna, siue quid aliud, omnibus denique precibus te rogo, oro, obsecro, ut hanc causam cum praestantissimis illis hominibus suscipias, adiuues ac perficias. Agetur illa quidem Theodosii nomine, quod unum adhuc est delatum, sed agetur ita, ut, uenia Theodosio impetrata, nemini amplius ea res fraudi sit futura, tam apud Imperatorem, quam Senatum nostrum, atque ut tota aeterna obliuione obruatur. Sic enim fiet, ut cum mihi, aliisque, qui Theodosio operam nostram accommodauerimus, tum illis, qui haec primi sparserint, re omni sepulta et aeternis tenebris mandata, tacite et per consequentias consulatur. Atque ita quidem et D. Grempius suasit, et hic uir doctus et Theodosii domesticus in mandatis habet, ut, nemine alio admixto, causam ut unius Theodosii propriam persequatur. Quem tu V. C. tuo consilio, auctoritate, opera et dexteritate multum adiuuare potes; quod ut facias, uehementissime rogo. Cum autem in Dei nostri et Caesaris clementia et lenitate singulari, tum in uestra gratia et fide spem certam habeo de uenia impetranda, praesertim cum omne nostrum peccatum non *ἐκ προαιρέσεως* et consilio, sed ex imprudentia et inconsideratione proficiscatur; quod ipsum continuo correctum fuit, iis uersibus sublatis aliisque eorum in locum repositis, etiam antequam exemplaria nisi perpauca distraherentur. Nosti autem, quod Paulus iurisconsultus scribit, maleficia uoluntate et proposito delinquentium distingui. Non iterabo, quod supra exposui, in hoc additamento nihil me meum agnoscere; nam et Theodosius id fieri et colligi mandauit, in ordinem redegit, publicauit et

mutauit, detraxit quae uoluit. Haec, quia ad me unum pertinent, nolim iam odiosius inculcare, ne amicum onerare uidear, quem magnopere totoque pectore subleuatum uelim. Videtur autem et deus ipse huic actioni fauere; incurrit enim in tempora cum Paschae, tum inaugurationis regiae, quibus criminum indulgentia leuiorum ab Imperatoribus concedi uetere instituto (extat Tit. in Cod. Theodos. Lib. IX. Tit. 38. De indulgentiis criminum) consueuit. Verum haec tuae et Clarissimi D. Waeberi sapientiae curae erunt, quibus deprecatoribus, non dubitamus, quin ueniam a Clementissimo Imperatore simus consecuturi. Quod ad D. Beutherum attinet, illi hac indulgentia Caesaris, quam speramus, non nocebitur, qui et litem suam priuatam, quam habet cum Theodosio omneque ius suum saluum nihilominus retinebit, et cum uolet, persequetur, quique de hac appendicula satis superque Caesari, Senatui nostro, aliisque se iam purgauit. Si de tuo in me paterno animo dubitarem, pluribus uerbis et precibus haec a te contenderem, alios quoque nonnullos rogarem et interpellarem. Sed tu unus, quod poeta Antimachus olim de Platone dixit, mihi es instar multorum millium. Scripsi tamen et ad Sambucum et ad Languetum et ad Kleinfeldium, quos et ipsos Giphanio suo non defuturos esse confido. Blotium, haud scio, an rogare debeam nonnihil a me alienatum nulla profecto mea culpa aut merito, quem tamen ob ueterem fraternae amicitiae memoriam in miserabili causa, etiamsi possit, nolle mihi nocere arbitror. Tuae tamen sapientiae et paternae in me beneuolentiae meam totamque causam commissam esse uelim, ut uideas, an res, quae fortasse non ita adhuc publicata est, cum multis communicari, seu potius inter paucos componi et placari debeat. Quod reliquum est, dabo ego operam, ut gratum et memorem me esse fatearis; nam proxima aestate curabo *ξὺν θεῷ*, ut uetus poeta Prudentius innumerabilibus in locis a me emendatus et scholiis accurate explanatus in tuo nomine appareat tamquam grati mei erga te animi monimentum. Quodsi et hoc faciendum et audendum mihi putabis, ut uel ipsi Caesari, uel regi Rudolpho, uel D. Procancellario Clarissimo Dn. Waebero aut etiam generoso D. Streinio munus aliquod litterarium curem, habeo quae illis conueniant non, ut opinor, contemnenda aut leuia. Sed hac in re tuum consilium sequar, quod proximis litteris, cum tibi commodum erit, ad me perscribes. Nunc Homerum nostrum mitto, quem expetere uideris. Lucretii quoque, quod aegre sum adeptus, exemplar mitto, cuius editionem alteram una cum explanationibus iam diu in manibus habemus. Gellii, an Agellii nostri Theodosius primam paginam et indicem typis iam suis descripsit perfecturus primo quoque tempore, postquam Caesaris indulgentia et mea mihi studia, et illi formae ac typi sui fuerint restituti. Quae etsi nondum nobis plane sunt adempta, miserandum tamen in modum iacent et perturbata sunt. Caeteroqui, ut de me nihil dicam, qui Theodosio in sua arte, non dico, sit anteponendus, sed (praefiscine dixerim) uel comparandus, praeter unum fortasse Plantinum in Germania nostra haud facile quemquam reperias, qui libros tam bonos et ueterum scriptorum tam eleganter et tam emendate memoriae tradat sempiternae. Vale, V. C. et salue.

Argentorato a. d. III. Kal. Martias MDLXXV.

Ob. Giphanius
Tui obseruantissimus et amantissimus.

De rebus aliis, de illo commento, ut uocas *πανταχουσίας*, quod neque Graece nec Latine appellari potest, et de quo tibi plane assentior, de beneficiis scholae huic attributis, quibus planissimae insidiae fiunt, alias ad te scribam; nunc uereor, ne hoc uolumine potius quam epistola

te tantum non obtuderim et obruerim, quod tamen causae grauitati tribues. Si non uiderer impudentior, rogarem te, ut D. Streinio, quocum Spirae notitia instituta mihi aliqua fuit, licet breuis, pertenuis, et D. Waebero, cui uiro magnopere innotescere tua opera uelim, ut me meaque omnia commendes, meam operam, obsequium ac fidem deferas, eisque ex me salutem dicas quam officiosissime. Iterum ac millies uale, doctissime Crato.

IV.

Tom. IX., No. 47.

S. D. Etsi priore Februario fere extremo de Sleidano Theodosii ad te copiose et uere perscripsi, denuo tamen molestus tibi esse cogor, quod et grauissimus casus hisce diebus me paene oppresserit, et de prioribus litteris ad te missis, an tibi bene ac mature sint redditae ut dubitem, tuo silentio commouear. Vix enim persuadere mihi possum, te ea humanitate, ut ultro etiam alios ad scribendum allicias, ne uerbum quidem ad litteras tam prolixas, seu uolumen potius rescribere potuisse, maxime in amici et clientis tui causa ea, in qua eius omnis existimatio, fama, uita denique ac salus agatur; nisi forte iam litteras ad me misisti, quas ego sane nullas accepi. Dederam ego priores litteras cuidam M. Dauidi Schelling, quem in aulam Caesaris Theodosius suo sumptu misit, etiamque nunc habet, quarum exemplum his litteris adiungerem, si ullum mihi reseruassem; quod enim unum seruare uolueram, id illi D. Dauidi roganti candide et sincere impertii, mitto tamen earum summam aliquam, quam hisce diebus rogatu scribae nostri feci, quantum equidem memoria repetere potui. Iis cur tam sollicite, tam multis uerbis te orarim, ut hanc causam nostram tuendam susciperes, ueniamque a Clementissimo Caesare nobis impetrares, non miraberis, si ea, quae hic sint consecuta, quaeque mihi acciderint grauissima, cognoris. Nam superioribus diebus adlatae huc Caesareae Maiestatis sunt litterae, quibus Senatui nostro mandatur, ut me in custodiam dedat et de additamento Sleidano adiuncto anquirat, quod quam seuere et acriter ille sit executus, sine lacrimis perscribere non possum. Iui, mi Crato, in custodiam publicam, qui cursum uitae plane inoffensum hactenus habui, quique omnem meam uitam in liberalibus et honestis studiis traduxi. Nec lacrimae, quas plurimas profudi, nec preces profuerunt. Eundem eo fuit misero mihi. Neque dum libertatem pristinam sum consecutus. Eo autem grauior casus hic mihi accidit, quod culpa aliqua mea accidat; magna enim est consolatio in malis et calamitatibus culpa plane uacare. Hoc tamen me consolatur, quod nulla mea uel *προαίρεσις*, uel uoluntas et consilium fuerit uiolandae Maiestatis Caesareae, quam at summum totius orbis magistratum legitimum semper toto pectore coluerim et obseruarim. Et hoc amplius me consolatur, quod illud additamentum, de quo D. D. Beutherus, neque susceperim, neque totum collegerim, et quod illud infelix mendacium non ipse confinxerim, sed a certo auctore acceperim et etiam ex communi et peruulgato sermone; nam de his duobus, maxime tamen de hoc mendacio in custodia rogatus fui. Et de additamento quidem respondi, me illud neque suscepisse, neque ita confectum Sleidano adiunxisse, sed, ut rogatus a Theodosio fueram, siluulam seu farraginem tantum exiguam, eamque indigestam ad illum misisse, non Germanice, sed Latine exaratam, quam ille postea uertendam dederit et una cum alia non absimili silua in unum uelut corpusculum seu additamentum redegerit, seu redigendum

curarit; ne quis me eius auctorem putet, aut uocet; materiam tantum, eamque ex parte ei roganti suppeditaui, qua et ipsa pro suo arbitratu est usus. De mendacio illo respondi, id satis hic peruulgatum fuisse; cum autem acriter urgerent et sub fide iurisiurandi a me ciue huic Reipublicae praestiti certum aliquem, unde id accepissem, exposcerent, feci sane magno cum dolore, ut familiarem quendam olim meum D. Danielem Florianum illis indicarem, qui id quoque ab aliis acceptum in mensa serio narrauit, etiam Baronibus et Comitibus quibusdam praesentibus et adsidentibus. Hanc meam confessionem Senatus noster breuius tamen et *nu*de ad Caesaream Maiestatem missurus mandauit mihi, ut, quod ipse unice petieram, supplicem libellum ad Caesaream Maiestatem conscriberem, eoque ueniam huius mei peccati a Clementissimo Caesare peterem. Id quod feci, non tam eloquenter, quam demisse. Spero autem has meas supplices ac demissas preces ueniae locum apud Clementissimum et humanissimum principem consecuturas. Alii fortasse alia ratione agunt, quorum fortasse non minor, sed maior est culpa, quam sit mea in hoc facto. Nec tamen non callide nec imprudenter facere putem, qui peccatum, seu erratum potius cum summo dolore ac detestatione fatear ac deprecer. Nam tametsi additamentum illud non confeci totum et mendacium non confinxi, in eo tamen non leuiter peccaui, quod illud mendacium ab aliis acceptum non suppresserim aeterna certe obliuione delendum et sepeliendum. In quo ipso tamen peccato, quia nulla mea malitia, nullus malus animus fuit in Sacram Caesaream Maiestatem, (quod et uerba ipsa indicant et confessio mea coram Deo et Senatu nostro facta testatur) spero, eam in uenia concedenda faciliorem et beniguiorem fore, praesertim cum eius rei nomine iam in custudiam a Senatu sim datus, quae mihi uidetur homini frontis integrae et in studiis nostris uersanti non leuis esse poena. Verum ut ingenue dicam, secundum Deum omnes spes opesque meae tam in Caesaris clementia, quam in tua deprecatione et studio. Cum enim omnium principum Austricorum uelut propria et insita est lenitas et clementia, tum huius nostri Imperatoris singularis praedicatur, quod fortasse litteris ac doctrinae eius tribuendum est. In te uero, Crato, V. C. et doctissime, tuaque deprecatione, ipse optime nosti et notius est, quam ut hic commemorari debeat*). Quam et D. Sturmius meam uicem grauiter miseratus te quoque et D. Streinium rogandos putauit, quamquam ad D. Streinium propter peregrinationem necopinatam et subitam nihil in praesentia scripsit. Superest igitur, te ut orem, ut te mihi deprecatorem in hac summa mea calamitate praebeas, Caesarem, dominum nostrum clementissimum cum per te, tum per D. Streinium ac D. Waeberum exores, ut mihi hanc culpam clementissime condonare ac remittere, meque in priorem libertatem, seu in pristinum restituere dignetur. Quod si per uos, ut confido, fuero consecutus, dabo operam, ut gratum ac memorem me huius summi beneficii breui deo approbante sentiatis; non quo pateras uel aurum, sed quod litteraria et fortasse etiam litterata quaedam iam adfecta habeam uobis dedicata, quae uobis, doctissimis hominibus, non ingrata puto futura. Sed quid ego haec commemoro, quasi uero ignorem in iure ciuili celeberrimum dictum, libertatem esse inaestimabilem? Quid libertatem dico, cum famam et uitam ipsam mihi hac deprecatione sitis reddituri? Nam ita me exest haec sollicitudo et grauis haec calamitas, imprimis Caesaris, Domini nostri Clementissimi, ira et indignatio, ita me consumit, ut, nisi in gratiam a Caesarea Maiestate recipiar, uel sua sponte paulatim sit confectura. Succurre igitur miserrimo Giphanio tuo, qui si adhuc nihil admodum praestitit, quod magnopere laude dignum sit, poterit tamen et Caesareae Maiestati et

*) Summum esse momentum aut tale aliquid noster omisit.

aliis esse utilis. Vale, V. C. et humanissime; nam ut pluribus uerbis te orem, causa illa quidem postulat, fiducia tamen, quam in te collocaui et lacrimae me meae impediunt. Salutem D. Kleinfeldio V. C.

Argentorato X. Maii 1575.

Exc. u. deditissimus et obseruantissimus
O. Giphanius.

Quaeso te, ut D. Langueto et D. Blotio per puerum litteras curare digneris, etsi de Blotio dubito, num Vienna Pragam uenerit.

V.

Tom. IX. No. 49.

S. D. Etsi non sum oblitus, neque unquam obliuiscar, quae mea causa egeris, quidque postea scripseris, multa tamen me impulerunt, denuo ut tibi idem onus imponerem; multiplex multoque quam antea maior nunc mea calamitas. Dies ipsa et mora meae custodiae, qua iram Caesaris lenitum iri scribebas, noua agendi occasio. Mitto enim nunc supplices et meas et clarissimorum uirorum meo nomine ad Caesarem litteras, quibus plerique sperant aliquid effectum iri, uobis eas adiuuantibus et offerentibus. D. Suendius ita meo casu commotus dicitur, ut etiam separatim ad te diligentissime scripserit. Cum ille igitur te plurimum posse arbitretur, non dubito, te iterum meam causam acturum adhibitis Theseis D. Streinio et D. Langueto. Puto etiam D. Suendii litteris aliquid te a D. Waebero impetraturum. Nosti illud uetus δευτέρων ἀμεινόνων; quare etsi primo non statim successit, quia me ipse quidem in tuis litteris desperabas, altero tamen, ut ita dicam, pedatu deus misericors laetum exitum dabit. Argumentum et omen capio ex nomine tuo, mi carissime D. Crato, qui ἐπικρατεῖν debeas in re tam miseranda. Quare V. C. succurre, fer opem misero, ne patere, ut typographus, unde mihi origo mali, liber iam sit, cui etiam ex animo id cupio, et Giphanius tuus in carcere lacrimis consumatur. Cum haec autem scriberem, plane solutus eram in lacrimas, nam uxor carissima domi relicta ex hac mea calamitate morbo contracto animam agebat, cui ne ultima quidem pietatis officia praestare licet. O me miserum terque quaterque infelicem, qui tot malis uno tempore circumueniar. Sustento me tamen cum spe et fide in deum, tum iam laeto meae libertatis nuntio. Sed de his paulo latius modo ad D. Languetum scripsi. Neque enim dubito, quin uos de hac tota re suscipienda et persectanda inter uos sitis acturi partim misericordia, partim litterarum collegio permoti. Et iis sum in angustiis, ut is esse solet, qui antea Musarum alumnus, nunc inquilinus sit carceris, idemque Caesarem habeat iratum, graui corporis morbo lecto adfixus, et uxorem habeat iam morti uicinam, ita ut lacrimis oppletus plura exarare nequeam.

Vale V. C. et amantissime patrone. Argentorato 8. Augusti.

Exc. u. deditissimus

Tuus miserrimus
Giphanius.

VI.

Tom IX., No 48.

S. D. Duos ipsos menses difficultates domesticae me exercuerunt. Nunquam, mi Crato, clarissime et humanissime domine, putaram ita stricte καὶ λεπτολόγως mecum acturum socerum. Quae causa est, cur tanto interuallo nihil ad te scripserim. Nunc, re VI. abhinc diebus transacta, licet maximo meo cum incommodo, nihil prius habui, quam ut ad officium redirem, quamquam et altera silentii causa est, quod tuas litteras mihi expectandas putarim, quibus et de plena indulgentia, ut uocant, et de gratiarum actione de Procancellario aliisque a me mittenda me certiorem faceres, quod ultimis meis ad te litteris Ratisponam missis magnopere te rogaram. Quare te oro, doctissime de Crato, ut ne in aliam partem hoc silentium accipias. Fuit hic heri D. Suendius, eumque salutaui et coram gratiam egi; rogaui hoc amplius, ut et rem nostram, adfectam uobis adiutoribus, conficere uelit meque commendatum habere. Miratus, nondum esse confectam (nam D. Procancellarium aiebat sibi id esse pollicitum Ratisponae seque id D. Linchio mandasse, ut urgeret negotium) addebat, se non dubitare, quin breui conficeretur*), et, si etiam opus esset, se etiam litteris acturum. Hodie tandem uideor mihi causam perspexisse ex tuis ad M. Dauidem litteris, quibus de diuturna D. Procancellarii absentia scribis. Quare nunc te oro, ut qui et primus causam meam suscepisti, cuique ego eam primo commendaui, et qui eam cum D. Langueto aliisque amicis feliciter, licet magno cum labore, eo perduxisti, ut non ita multum operae restare uideatur; oro te igitur, clarissime D. Crato, ut ad felicem et optatum exitum eam perducas; non possum, mihi crede, animum studiis reddere, quamdiu haec res me sollicitum habebit. Qua sollicitudine simul ero per te liberatus et plane explicatus, dabo operam, ut studia mea, quae iam fere biennium iacent, restituta pariant aliquid, quod tibi non sit ingratum et iniucundum futurum.

De rebus nouis nihil fere est, quod scribam, praeter hoc, quod multi iam de exercitu Casimiriano non tam bene sperare uideantur, nam et de Alenconii fide dubitant, et rex iustum fere exercitum habere iam dicitur, et in Casimiriano multa multi desiderant, consilium, pecuniam, concordiam, fidem et constantiam. Non tamen desperandum putant. Oppugnare ex itinere dicitur oppidum Chaumont bene munitum, quare de expugnatione parum hic habent spei; sermo etiam est, bis esse repulsum, et iam ante in finibus Barricis non nihil uapulasse a regiis; sed hic obscurus et incertus est sermo, et falsus, ut puto. Aiunt tres legatos a rege ad Casimirum esse missos, Biron, Bellieuve et N. de pace, quibus hoc dicatur datum esse responsum, cum ad Alenconium peruenerit, ea de re agi posse. Illud constat inter omnes, aliquot iam turmas equitum Germanicorum ad regem esse adductas. De nuptiis Erici Brunsuicensis et sororis ducis Lotharingiae optime, si uoles, ex comitibus reginae Galliae cognosces.

D. Sturmius te plurimum salutat. Dasypodius est in recente summo luctu; iam enim octauus est dies, cum uxorem carissimam hydrope, exin puerperio extinctam amisit, et tamen is quoque te salutat. Te rogo, ut D. Sambuco et D. Blotio salutem a me dicas.

Vale clarissime et humanissime D. Crato. X. Kal. Febr. 1576.

Tui obseruantissimus et studiosissimus
Ob. Giphanius.

*) Conficietur in codice est.

VII.

Tom. IX., No. 50.

S. D. Litteras ad me tuas, quibus Iacobum Monauium, popularem tuum, mihi commendabas, longo post interuallo Viteberga accepi. Eo enim ex itinere cognita caede Gallica se diuertisse, ipse ad me scripsit. Vellem ad nos eum uenisse, ut et meum in te studium et obseruantiam ipse cognoscere, et cum uiro docto et perhumano familiaritatem ego propius instituere potuissem. Feci igitur, quod potui, hoc est, quod coram fuerat oportunius, id litteris ad eum datis sic satis praestitisse mihi uideor. Verum ut amicorum amor, ita et officia mutua esse solent; quare hunc meum familiarem istuc euntem commendare tibi non sum ueritus, cuius te rogo, mi Crato, ut causam piam (eam ex ipso cognosces) suscipias et, quo poteris, studio adiuues. Hanc multi multis, in his Sturmius Streinio quoque commendant. De rebus Gallicis et Belgicis ab ipso quoque cognosces. Nam de nostris in hac schola dissensionibus, non sine magno animi dolore earum uel meminisse possum. Adeo impotenter de re saepe non magna homines quidam inimicitias gerunt, atque artes bonas earumque studiosos his Martiis, ut ita dicam, temporibus satis contemptas et odiosas maiorem in contemptum et odium adducunt. Nunquam putarem Sturmium tam acerbo esse ingenio. Sed me reprimam et domi potius calamitates meas, aut communes potius doctorum hominum, culpas quoque nostras et peccata deplorabo.

Vale. VIII. Kal. Febr.

Tui obseruantissimus

Ob. Giphanius.

His Giphanii curis ac querelis iam in uiam reducimur; ex ipsius ore accipimus, quantis molestiis professores in academiis nostris uexati sint, internis dissensionibus, mutuisque collegarum inimicitiis, magistratuum suspicionibus et quaestionibus, rerum publicarum turbis, fastidioso litterarum doctorumque hominum contemptu; confirmata uidemus omnia, quae supra ea de re monuimus. Quapropter ultimas has litteras, cum in caeteris disponendis temporis rationem secuti simus, eo loco reliquimus, quem obtinent in libro manuscripto, unde posteriores septem epistolas sumpsimus. Accedit, quod, quando litterae illae datae sint, pro certo compertum non habemus. Licet enim mox post caedem Gallicam eas scriptas esse appareat, ambigi tamen potest, anno 1573, an potius anno 1574 missae sint. Nam uti sceleris illius recentis commemoratione prior, ita querimoniis, quibus obstinatus Sturmii animus incusatur, posterior annus indicatur; etenim aptissime referri possunt ad eos conatus, quibus senatus Argentoratensis Sturmium et Marbachium inter se conciliare studuit; qua quidem in causa Sturmius aduersario multo peruicaciorem se praestitit. (cf. Schmidt La vie et les travaux de Iean Sturm. Strasb. 1855. p. 177.) Quae dubitatio aliter uix tolli poterit, nisi eruatur ex scholae Vitebergensis albo dies, quo Iacobus Monauius, consiliarius postea ducis Lignitzensis, in ciuium academicorum numerum ibi receptus est; Foerstemann enim in edendo albo Vitebergensi ultra Melanchthonis mortem progressus non est. —

Omnino uero adiicere in huius commentationis calce quaedam liceat, quae ad temporum computationem in Giphanii uita obseruandam pertineant; grauissimos enim errores ea in re ab aliis admissos deprehendimus. Atque quod quidem attinet ad nostras epistolas, uix est, ut aliquid moneamus. Nam quod eam, quae nobis secunda, in libro manuscripto tertia est, (Tom. II. No. 81.) eo loco posuimus, recte nos fecisse, facile ex iis perspicitur, quae noster de exspectato Rehdigeri responso praefatus est, ad quod proxima (Tom. II. No. 80.) iam rescribit. Deinde etiam quae de rebus Belgicis et Gallicis nuntiat, arctissime cum iis cohaerent, quae prima epistola narrauerat. — Similiter exploratum nobis est, ex litteris ad Cratonem missis eas, quas secundo loco exhibuimus, (Tom. IX. No. 44.) proxime ante illas conscriptas esse, quibus primum Riheliana causa exponitur, (Tom. IX. No. 46.) eamque ob rem demum post eas datas esse, quae in libro manuscripto secundae reperiuntur, (Tom. IX. No. 45.) id est mense Nouembri anni 1574. — Attamen restat aliqua dubitatio de subscriptione primae epistolae „Argentorato 10. Decemb. 1570." Thuanus enim historiarum libro quinquagesimo extr. Medinae Caeli ducem a Philippo rege pridie Kal. Octobr. Belgii praesidem pronuntiatum esse tradit; qua re audita confoederatos rursus arma cepisse, Brielamque Kalendis Aprilibus sequentis anni ui expugnasse. Quae expeditio cum anno 1572 facta sit, (cf. Iuste Histoire de la révolution des Pays-Bas sous Philippe II. Tom. II. Bruxell. 1855. p. 590 sq.) Medinacaelius Albano anno 1571 successerit, oportet. At non recte Thuanus. Iam enim anno 1570 Medinae dux Belgium prouinciam accepit; (cf. Ferreras Lib. XV. § 117. Strada Bellum Belgicum Lib. VII. p. 426. Iuste l. l. p. 569.) potuit ergo Giphanius exeunte illo anno ea de re certior factus esse, sicuti de Aonii Palearii morte, qui tertio quartoue mensis Iulii die eiusdem anni obiit. (cf. Haasium in Encyclopaedia Erschiana Sect. III. Tom. 9. p. 473.) Confirmatur denique nostrae epistolae subscriptio altera ab Heinsio (Select. epist. Centur. I. No. 96.) edita, die uicesimo septimo mensis Nouembris a. 1570 missa, qua eadem fere atque hac de Medinacaelio nuntiantur. — Grauiter uero Burmannus peccat, qui alias Giphanii litteras, ab eodem Heinsio (Cent. I. No. 85.) prolatas, anno 1578 datas esse putet. (Sylloge epistolar. etc. Leidae 1727. Tom. II. p. 307.) Repellit iis auctor rumores, qui de ipsius amoribus Argentorati spargebantur, seque uxorem ducere uelle, Argentoratensem uero nolle adiicit. Probatur autem epistola secunda Cratoni scripta, iam mensis Nouembris a. 1574 initio Marbachii gener fuisse. Quin etiam aliquanto antea, anno 1573 uel 1572 nuptias illas cum Marbachii filia contractas esse, apparet ex iis litteris, quae apud Burmannum l. l. p. 306 sq. leguntur, quasque huius opinione merito refutata Bernaysius in uitae Scaligeranae enarratione (p. 153.) anno 1574 attribuit. Verum quidem est, paucos post annos uxorem Giphanio morte esse ereptam. Si recte rem perspicio, obiit inter octauum mensis Augusti diem anni 1575 primaque sequentis anni initia. Graui enim morbo correptam mortique uicinam illo die maritus conqueritur; (Tom. IX. ep. 49.) interciderunt deinde, quas Ratisbonam misit; quae sequuntur litterae (Tom. IX. No. 48.), iis soceri auaritiam apud Cratonem accusat, id quod iampridem alii fecerunt. (cf. Schmidt l. l. p. 175.), Agebatur, ni fallor, inter Marbachium generumque de dote, quam hic ab illo acceperat (Tom. IX. No. 44.); nam cum liberos ex eo matrimonio non sustulisset, — ne uerbum quidem de iis ep. 49. Tom. IX. cf. quoque Zeidlerum l. c p. 45. Tom. I. — patri restituere dotem debebat. Neque tamen eo magis Burmanni sententia defenditur. Euidens est enim, perscriptam esse illam epistolam anno 1570; Foxium in Britanniam esse missum ait noster, ut nuptias inter Alenconium et Elisabetham, Angliae reginam, conciliaret. Cuius legationis causa Foxium a. 1570 profectum esse, inter omnes constat. (cf. Biogr. générale Tom. XVIII. p. 51.)

Deinde cum a Zeidlero l. l. Tom. I. p. 61, 62. non omnes omnino epistolae Giphanii, quae aut typis impressae, aut manu scriptae exstant, enumeratae sint, eas, in quas nos incidimus praeterea, catalogo illi adiicere constituimus. Vnam peruulgauit Crenius Animadu. philol. Tom. III. p. 101—104. Missa est a. d. X. Kal. Aug. 1567; ita enim legendum est; mero typographi errore

annus 1587 in fine epistolae irrepsit. Describitur his litteris iter, quod Giphanius cum Foxio per celeberrimas Italiae superioris urbes Venetias fecit, qua in urbe ille, ut dictum est, legati munere apud Senatum fungeretur. — Binas deinde litteras Gabbemae debemus, quarum unae (p. 641.) a. d. XIV. Kal. Iul. a. 1566 ad Guilelmum Canterum, alterae Praga die XXV. Martii a. 1602 ad Theodoricum Canterum (p. 715.) datae sunt. Quaternas porro seruauit Heinsius, omnes ad Adrianum van der Myle scriptas, quae ex priore centuria numeros 85 et 96, ex altera 57 et 94 obtinent. De illis iam supra expositum est, de his nihil habemus, quod addamus nisi hoc, alteras Argentorato die XXIV. Augusti mensis a. 1579, alteras ultima Iulii die, anni mentione non facta, Altdorffio missas esse. Denique Fridericus Haasius, quae eximia eius est humanitas, liberaliter nobiscum communicauit librum Francisci Cicereii epistolas a Pompeio Casata Mediolani anno 1782 editas continentem, ubi Vol. II. p. 141. not. 3. haec leguntur: In codice Ambrosianae 295 uariae sunt epistolae Latinae Gifanii Patauium scriptae anno 1568, 1569 ad Pinellum, ad Mulmettam, ad Ellebodium. —

Causam Berzeuicaei (uid. Tom. IX. ep. 45.) facere non possumus, quin ex ipsius litteris ea de re annis 1570 et 1571 ad Cratonem missis (Collect. epistolar. Rehdig. Tom. IV. ep. 29—36.) paucis illustremus. Ortus est Martinus Berzeuiceius, ita enim se ipsum nominat (cf. praeter epist. mss. Rehd. etiam ep. Muret. I. 45.) nobili genere ex Hungariae comitatu Sarosiensi (Tom. IV. ep. 31.). Errat ergo in praenomine Giphanius, (ep. Muret. I. 75.) qui Thomam eum uocet. Illis temporibus Pataui morabatur, non magis studiorum gratia, quam quia crimine, in cuius suspicionem imprudenter incurrerat, (Tom. IV. ep. 30. 31.) oppressus, redire in patriam uetabatur. (Tom. IV. ep. 29. 31.) Cum Forgacio enim, cui ueteris amicitiae summorumque beneficiorum uinculis obstrictus erat, omni tempore quoddam commercium habuit. Quam rem in deteriorem partem accipiens, ut erat suspiciosi ingenii, Listius, episcopus Vesprimensis, Berzeuiceium apud imperatorem accusauerat, quasi consiliorum Forgacii totiusque illius factionis particeps fuisset; eaque calumnia Caesaris iram in eum excitaverat. (Tom. IV. ep. 31.) Crato, quamquam hominem nunquam uiderat, qui ab amicis, imprimis a Giphanio ei commendatus erat, tanta humanitate et tanto studio causam eius amplexus est, nihili aestimans aduersariorum inuidiam, ut clientem non solum apud Listium, adiuuante Radetio, episcopo Varadinensi, in gratiam siue ueram, siue simulatam (cf. Tom. IV. ep. 33.) restitueret, sed etiam ab ipso Maximiliano ueniam ei expeteret. Quibus Cratonis ac multorum aliorum precibus Caesar exoratus tandem concessit. Totam rem apud eum transegit episcopus Posnaniensis, qui impetrauit, ut poena Forgacio et sociis eius remitteretur. De qua criminis abolitione ab ipso episcopo edoctus laeto animo Berzeuiceius a. d. XVII. Kal. Iul. a. 1571, quem ad finem causa perducta sit, Cratoni Patauio nuntiat, (Tom. IV. ep. 36.) reditumque in patriam parat. (ep. 37. ibid.)

Cum nobis non contigerit, ut de edicto, cuius Giphanius meminit epistola octaua ad Rehdigerum data, certi quidquam reperiremus, nihil tandem superest, nisi ut exponamus, qua ratione in edendis his litteris uersati simus. Et primum quidem cordi nobis fuit, ut quam diligentissime singulas litterulas, saepissime mirum quantum male pictas, inuestigaremus et dignosceremus: qua in re multum laboris atque industriae consumpsimus, cum non raro, quid auctor scripsisset, coniectura prius assequendum esset, antequam legi posset; confidimus autem ubique rem bene nobis cessisse. In una tantum uocula ingenium oculosque frustra diu exercuimus, usque dum Fridericus Haasius, inspecto codice, „numerem“ (p. 15. v. 5.) legendum proponeret, quam uocem postea in scripto quoque agnoscere uisi nobis sumus, ita ut affirmare

non dubitemus, hanc esse genuinam auctoris scripturam. Est uero illud quoque argumentum, quantopere in exarandis his epistolis Giphanius festinauerit, quod saepius aut, quae iam posita sunt, sine causa iterat, aut quae exprimenda erant uerba, omittit; utrumque suo quoque loco in notis infra lineam adiectis monuimus. Vbi scripturae compendio usus est noster, plenas immutilatasque plerumque uoces exhibuimus; unum tamen uersum (p. 5. u. 9. primae epistolae) silentio praeterire nolumus, etsi dubitationem uix ullam inde oriri posse, persuasum habemus. In codice enim ita est „regios consil. Cardinalis;“ quam notam, quamquam apud nostrum iterum ea non recurrit, nemo facile aliter, atque nos fecimus, interpretabitur. Multa deinde Giphanius correxit; nonnunquam alio dicendi genere sententiam inchoat, alio claudit; nonnunquam calami lapsu, quae noluit, scripsit. Sed ut talia praetermittamus, alia quoque multa sunt, in quibus lector offendatur, et quae nimiae auctoris festinationi adscribi nequeant. Sic „domui suae“ (p. 5. u. 4. primae epist.); „utrique,“ ubi „uterque“ expectaueris; (p. 10. u. 9.) ex hoc numero porro est Cardinalis „Gramellanus“ (p. 8. u. 19.), qua in epistola nitidissima noster manu litteras pinxit, et mirabile illud nomen „Moysansfalle,“ qui Thuano (Historiar. Lib. 46. ed. Paris. 1609. Tom. VII. p. 284. al.) est Moius, et qui apud Francogallos de Moy (Martin Histoire de France. Tom. X. Paris. 1844. p. 299.), regi Carolo IX. Mouy (l. l. p. 300.) uocatur.